
SCRIPTORES PHYSIOGNOMONICI GRAECI ET LATINI RECENSUIT RICHARDUS...



DIESES·BUCH·GEHÖRT



VERLAG VON B. G. TEUBNER IN LEIPZIG

DIE HELLENISCHE KULTUR

DARGESTELLT VON

FRITZ BAUMGARTEN, FRANZ POLAND, RICHARD WAGNER

Mit 7 farbigen Tafeln, 2 Karten und gegen 400 Abbildungen im Text und auf 2 Doppeltafeln

[X u. 491 S.] gr. 8. 1905. geh. ℳ 10.—, in Leinw. geb. ℳ 12.—

Dem Bedürfnis nach einer zusammenfassenden Darstellung der griechischen und (in einem zweiten, in Vorbereitung befindlichen Bande) der römischen Kultur in weiterem Umfange, als sie bisher vorliegt, soll dies Werk Rechnung tragen. Die Verfasser, die sämtlich im praktischen Schuldienst stehen, haben es als ihre Aufgabe angesehen, die gesicherten Ergebnisse der neueren Forschung in einer für jeden Gebildeten faßlichen und lesbaren Form darzubieten, unter besonderer Berücksichtigung der Bedürfnisse und der Ergebnisse des Unterrichts in den Oberklassen unserer höheren Schulen. Dem geschriebenen Wort tritt ergänzend und weiterführend ein reichhaltiger Bilderschmuck zur Seite, der um so weniger fehlen durfte, je lebendiger und unmittelbarer gerade das Kulturleben des Altertums uns durch seine Denkmäler veranschaulicht wird.

„Ein Buch, das, ohne mit [illegible] zu prahlen, die wissenschaftliche Tüchtigkeit der Verfasser bezeugt. Überall sind auch, bei der Behandlung der Kunst wie der des Schrifttums und der politischen Verhältnisse, die neuesten Funde eingehend berücksichtigt. Die Darstellung ist meist knapp, aber inhaltreich, verständlich und gefällig. Trefflich ist gleich der kurze Abschnitt über Sprache und Religion in der Einleitung. Ganz meisterhaft scheint mir die Behandlung der Kunst. Nirgends finde ich [illegible], keine Urteile, die für den Leser in der Luft schweben, weil ihm die Anschauungen fehlen. Was zu sagen ist, wird meist an gut gewählte Beispiele angeknüpft. Neben der äußerlichen Geschichte der Kunst kommt auch die Stilentwicklung zu vollem Recht. Das staatliche Leben, besonders in Athen, wird in allen seinen Bedingungen anschaulich und doch nicht zu ausführlich vorgeführt. Vergleiche mit späteren Verhältnissen erleichtern oft das Verständnis. Die Schilderung des geistigen Lebens hebt besonders die gewaltigsten Persönlichkeiten hervor, begnügt sich aber nicht mit bloßen Tatsachen und Urteilen, sondern führt, soweit tunlich, auch Proben an oder gibt Inhaltsangaben der überlieferten Werke, die auch dem mit der griechischen Literatur unbekannten Leser ein Verständnis für die Bedeutung dieser Geisteshelden erschließen."

(Lehrproben und Lehrgänge 1906. [illegible])

„Das Buch war geradezu ein Bedürfnis. Nach den reichen Ergebnissen, die in den letzten Jahrzehnten Ausgrabungen, Entdeckungen und Papyrusfunde in Griechenland, auf den Inseln, in Kleinasien und Ägypten gebracht haben, wünschten wir eine Darstellung, die wieder auf der Höhe der Zeit stand. Und diese haben uns die drei Verfasser in dem neuen Buche gegeben. ... So tritt das [illegible] klar vor die Augen, und der Leser erhält ein Verständnis für den [illegible] der griechischen Kultur."

(Straßburger Post, 17. Dezember 1905.)

SCRIPTORES

PHYSIOGNOMONICI


GRAECI ET LATINI

RECENSUIT

RICHARDUS FOERSTER.

VOL. I.

PHYSIOGNOMONICA PSEUDARISTOTELIS, GRAECE ET LATINE, ADAMANTII CUM EPITOMIS GRAECE, POLEMONIS E RECENSIONE GEORGII HOFFMANNI ARABICE ET LATINE CONTINENS.



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXCIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

AUGUSTO ROSSBACHIO

SEPTUAGESIMUM DIEM NATALEM AGENTI

S.

a*

Accipe, quaeso, praeceptor et collega carissime, genethliaci nomine opusculum quod Te parentem habet.

Tu enim ante hos XXX annos lectionibus de arte plastica Graecorum habitis primus animum adulescentuli ad scriptores physiognomonicos direxisti, consilium novae editionis parandae excitasti itaque effecisti ut studium eorum ab Ioanne Aenotheo Schneidero coeptum, a Taubio et Henrychowskio continuatum cum Viadrina universitate coniunctum maneret. nondum ego in albo studiosorum esse desii, cum consilium illud exsequi coepi, quod posthac quamvis multis aliis distentus nunquam ex animo meo elabi passus sum. ac primum ut probae recensionis fundamenta iacerentur, subsidia anquirenda et arcessenda erant: res sane quam operosa, quoniam de multis scriptoribus et de codicibus per bibliothecas longe remotas dispersis vel penitus abditis agebatur, sed in qua prosperrima usus sum fortuna. iam in primo itinere auspicato Uffenbachianum codicem illum ab ultimo editore conclamatum inveni, paulo post duos codices Parisinos, per Iulium Eggelingium, olim contubernalem meum, copiam codicis Oxoniensis, per Ernestum Rautenbergium, et ipsum Vratislaviensium studiorum sodalem, et Guilelmum Gurlittum apographum epitomae Matritensis Adamantii nactus sum. iter bimum

Italicum aditum thesaurorum Vaticanorum, Laurentianorum, Ambrosianorum, Marcianorum patefecit, alterum duobus lustris post propter Libanium Choriciumque institutum Londinensium, Oxoniensium, Parisinorum, Matritensium. interim Vratislaviae a benevolentia Augusti Schmoeldersii, collegae beatae memoriae, Polemonis arabici versionem impetravi et codicem Pseudaristotelis Leidensem contuli, Rostochii Havniensem, mox Kiliae Constantinopolitanum Adamantii. ita iam ante hos decem annos editionem foras mittere potui. at nolui, etsi desiderio eius Tibi offerendae publicoque usui tradendae ardebam, sed quamquam numerum fontium exhauriendorum in dies crescentem vidi, non prius mihi quiescendum esse duxi quam omnia recensionis et emendationis instrumenta paravissem et quae in apparatum criticum recipienda, quae removenda essent extra dubitationem posuissem. nam cum horum scriptorum editionem non ita facile repetitum iri mihi persuasum esset, hac una ratione editoris officio me satis facere posse credidi. ac tantum abest ut huius cunctationis nunc me paeniteat, ut plurimum me ea operi profuisse putem. his enim demum ultimis annis optanti mihi obtigit, ut Patavinus codex optimus versionis latinae libelli pseudaristotelici a Bartholomaeo Messanio factae, cuius pretium divinaveram, meum in usum conferretur, versio Polemonis arabici incudi redderetur, huius epitoma Constantinopolitana, opusculum Pseudopolemonis Gothanum physiognomonia Secreti Secretorum arabici e tenebris in lucem prodirent. ac ne illud quidem iter quod Reiskii mei epistularum colligendarum causa anno

proximo ad Britannos, Batavos, Belgas suscepi huic editioni prorsus frustra fuit.

Nunc opere e prelis quae triennium exercuit dimisso grato pioque animo memoriam recolo eorum qui me adiuverunt laboremque gaudii plenissimum reddiderunt. quorum nomina quoniam plura sunt quam quae haec charta capiat, Prolegomena indicabunt, quibus cum historiam physiognomoniae enarrare tum de subsidiis editionis referre propositum est. duos vero hoc loco silentio praeterire nec volo nec possum: Mauricium Steinschneiderum, cuius singularis liberalitati versio Secreti Secretorum debetur, et Georgium Hoffmannum, qui Polemonem arabicum describendo, emendando, edendo, vertendo et Pseudopolemonis Gothani libellum transferendo magnam, paene dixerim dimidiam partem operis in se suscepit atque in omnibus rebus arabicis vel syriacis de quibus eum consului, suasor et paratissimus et locupletissimus mihi exstitit. cui si opus ut volui prodit, plurimum id me acceptum referre lubens merito profiteor et aliquando parem gratiam referre concupisco.

Iam librum e diutina custodia emitto sperans fore ut Tu, collega carissime, haec sero quidem, sed die qui Tibi nobisque illuxit festus advenientia χαριστήρια boni consulas, et exoptans ut philologiae, artis, historiae philosophiae rerumque naturalium studiosis usui sit.

Scribebam Vratislaviae d. XXVI mensis Augusti anni MDCCCLXXXXIII.

Richardus Foerster.

PROLEGOMENA.

Fundamenta scientiae physiognomonicae, quae per multa saecula apud recentiores gentes floruit denuoque his diebus efflorescere coepit, a Graecis iacta sunt. ac studii quidem illius nativi e specie hominum externa de moribus divinandi vestigia atque testimonia etiam in vetustioribus litteris satis multa supersunt, quae in oratione academica inscripta *Die Physiognomik der Griechen* et Kiliae anno 1884 edita p. 6 sq. indicavi et in sylloga locorum physiognomonicorum quae huius editionis finem facit (tom. II p. 233 sq. fr. 1—10 et p. 337 sq. fr. 4^{a}—4^{c}) plenius digessi.

Ut autem physiognomonia ars fieret, non nihil exemplum orientalium, quorum animi maxime ad eam propensi erant, contulisse vel e nomine quamvis per etymologiam quam dicunt popularem paululum mutato concluserim eius qui primus Athenis eam professus est Zopyri.[1])

1) Si verum assecuti sunt Davisius (ad Cic. Tusc. IV, 37, 80), Luzacius (lectiones Atticae p. 244), alii conicientes nullum alium nisi Zopyrum fuisse magum illum, quem Aristoteles dixit secundum Laertium Diogenem II, 5, 24, 45 (*φησὶ δ' Ἀριστοτέλης μάγον τινὰ*) *ἐλθόντα ἐκ Συρίας εἰς Ἀθήνας τά τε ἄλλα καταγνῶναι τοῦ Σωκράτους καὶ δὴ καὶ βίαιον ἔσεσθαι τὴν τελευτὴν αὐτῷ*, habemus etiam disertum patriae Zopyri testimonium. favent autem huic coniecturae, id quod propter E. Petersenum (Theophr. charact. p 94) moneo, potissimum verba *τὰ ἄλλα καταγνῶναι τοῦ Σωκράτους* cum locis qui de Zopyro agunt convenientia. Simul autem etiam de praesagio finis vitae mentionem faciendi locis p. VIII sq. laudatis nulla data erat ansa. — fortasse idem Zopyrus etiam Thucydidis *βίαιον θάνατον* praedixerat. certe maximae dissolventur difficultates quibus locus Marcellini vit. Thuc. (§ 32 *Δίδυμος δ' ἐν Ἀθήναις ἀπὸ τῆς φυγῆς ἐλθόντα βιαίῳ θανάτῳ φησὶν ἀποθανεῖν·*

quod concedere debebit etiam qui cum Zellero (Philosophie der Griechen II, 1, 60) totam illam de Socrate et Zopyro narratiunculam pro ficticia habuerit, quae nunc quidem tantum apud scriptores posterioris aetatis exstat,

(Ciceronem de fato V, 10 *Quid? Socratem nonne legimus quem ad modum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? stupidum esse Socratem dixit et bardum, quod iugula concava non haberet, obstructas eas partes et obturatas esse dicebat; addidit etiam mulierosum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse*, e quo partem suorum hausit scholiasta ad Pers. sat. IV, 24 *Zopyrus autem physiologos de vultu hominum mores agnoscebat. qui cum ad Socratem veniret, ait ei: 'libidinosus es'.*

τοῦτο δέ φησι Ζώπυρον ἱστορεῖν et § 33 *ἐγὼ δὲ Ζώπυρον ληρεῖν νομίζω λέγοντα τοῦτον ἐν Θρᾴκῃ τετελευτηκέναι, κἂν ἀληθεύειν νομίζῃ Κράτιππος αὐτόν*) laborat, si Marcellinum statuimus perfunctorie Didymo usum verba *ἱστορεῖν* et *λέγοντα τοῦτον τετελευτηκέναι* male adhibuisse. hunc autem Zopyrum, ut ne Ludovicus quidem Herbstius Philol. XLIX p. 174 ausus est, pro eodem habere nequeo atque Zopyrum illum Thracem, quem *τῶν οἰκετῶν τὸν ἀχρειότατον ὑπὸ γήρως* a Pericle paedagogum Alcibiadi constitutum esse Plato (Alc. I p. 122a. cf. Plut. Alc. 1. Lyc. 16. Clem. Alex. Paed. I, 7 § 55 p. 130 P.) auctor est. aut hunc aut nostrum physiognomonem a Strattide comoedia inscripta *Ζώπυρος περικαιόμενος*, cuius memoria duoque frustula apud Hesychium s. v. *οὐ μάλα κικκάς* (*καὶ Στράττις ἐν Ζωπύρῳ περικαιομένῳ· τῶν οὐ μάλα τέθηκα κεκυκκᾶν ἐπικρατῆ*) et in Etymologico s. v. *φῴζειν* (*φῴζειν· σὺν τῷ ῑ, σημαίνει δὲ τὸ καίειν. Στράττις Ζωπύρῳ περικαιομένῳ· ἀλλ' εἰ μέλλεις ἀνδρείως φῴζειν ὥσπερ μύστακα σεαυτόν* = Mein. fr. com. gr. II, 789; Kock. com. Att. fr. I p. 730 fr. 65; cf. Reitzensteinii inedita poet. graec. fragm., ind. lect. Rostoch. 1891/92 p. 13) exstant, exagitatum esse coniectura fuit Meinekii (fr. com. gr. I p. 225; II, 767), quae plausum tulit Th. Kockii (I p. 714).

Alcibiades risit. at illum iniuriis discipuli afficere voluerunt, quod de magistro eorum iniuriose locutus sit. tunc ille ait: 'parcite, sum quidem libidinosus: sed meum est ipsam libidinem vincere';

Tusc. IV, 37, 80 *ut Socrates dicitur, cum multa in conventu vitia conlegisset in eum Zopyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent, ab ipso autem Socrate sublevatus, cum illa sibi insita, sed ratione a se deiecta diceret;*

Pseudoplutarchum περὶ ἀσκήσεως vers. syr. fol. 179 (Mus. Rhen. XXVII p. 527): 'Aber wie Demosthenes gezeigt hat, daſs vieles durch Arbeit überwunden wird, so hat auch Sokrates gezeigt, daſs selbst die Begierden durch angewendete Sorgfalt überwunden werden. In seinen Tagen kam ein Mann, Namens Zopyros, der aus dem Anblick des Gesichts die Leidenschaften der Seele erkennen zu können verhieſs, nach Athen, um die Zeit, da es durch berühmte Männer blühte. Als die Kunde sich verbreitete, daſs ein Mann gekommen, der aus dem Anblick des Gesichts die Sitten der Seele beurteilte, versammelten sich die Ersten der Stadt um der Wichtigkeit seines Versprechens willen, und als er zu ihnen sagte: 'jeden den ihr wollt, stellt mir vor und ich werde aus seinem Ansehn sagen, was seine Sitte sei', stellten sie den Sokrates vor, den dieser Mann ganz und gar nicht kannte. Als er ihn betrachtet hatte, sagte er: 'dieser Mann ist ausschweifend und unterliegt der Begierde nach den Weibern'. Als aber jeder über ihn und die Leere

seines Verständnisses lachte, dafs er den Mann einen niedrigen, ausschweifenden genannt, da beschwichtigte Sokrates sie und sagte: 'In Wirklichkeit hat dieser Mann nicht gelogen, denn von Natur neige ich sehr zur Begierde, durch angewendete Sorgfalt aber bin ich, wie ihr mich kennt';

Alexandrum Aphrod. de fat. 6 *εἶναι δὲ τοὺς μάντεις μηνυτὰς τῶν γινομένων καθ' εἱμαρμένην, ὥσπερ οὖν καὶ τοὺς φυσιογνώμονας. εἰπόντος γοῦν Ζωπύρου τοῦ φυσιογνώμονος περὶ Σωκράτους τοῦ φιλοσόφου ἄτοπά τινα καὶ πλεῖστον ἀφεστῶτα τῆς προαιρέσεως αὐτοῦ τῆς κατὰ τὸν βίον καὶ ἐπὶ τούτοις ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Σωκράτην καταγελωμένου οὐδὲν εἶπεν ὁ Σωκράτης ἐψεῦσθαι τὸν Ζώπυρον, ἦν γὰρ ἂν τοιοῦτος, ὅσον ἐπὶ τῇ φύσει, εἰ μὴ διὰ τὴν ἐκ φιλοσοφίας ἄσκησιν ἀμείνων τῆς φύσεως ἐγένετο. καὶ αὕτη μὲν ἡ περὶ εἱμαρμένης, ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, κατὰ τοὺς ἀπὸ τοῦ περιπάτου δόξα,* cuius verba exscripsit Eusebius praep. ev. VI, 9, 22[1]),) sed quam ad dialogum Socraticum referendam esse vel e verbis Pseudoplutarchi et Ciceronis dispicitur, sive is

1) Cf. Maxim. Tyr. diss. 31, 3 *ἀλλ' ὁ μὲν Ζώπυρος ἐκεῖνος δεινὸς ἦν τῇ προσβολῇ τῶν ὀφθαλμῶν τοῖς τοῦ σώματος τύποις ἐντυγχάνων γνωρίζειν τὸ ἦθος καὶ καταμαντεύεσθαι τῆς ψυχῆς διὰ τῶν ὁρωμένων μαντείαν ἀσαφῆ.* Origen. c. Cels. I, 33 p. 26 Lomm. *ἐὰν δὲ καὶ τὰ τῶν φυσιογνωμονούντων κρατῇ εἴτε Ζωπύρου εἴτε Λόξου εἴτε Πολέμωνος εἴτε οὑτινός ποτ' οὖν τοιαῦτα γράψαντος καὶ ἐπαγγειλαμένου εἰδέναι τι θαυμαστὸν οἰκεῖα τοῖς ἤθεσι τῶν ψυχῶν πάντ' εἶναι τὰ σώματα.* Zopyri nomen e narratiuncula evanuit apud Ioannem Cassianum conlat. XIII, 5, 3 *denique famosissimus ille ipsorum (philosophorum) Socrates hoc, ut ipsi concelebrant, de se non erubuit profiteri. nam cum intuens eum quidam physiognomon dixisset: ὄμματα παιδεραστοῦ, hoc est oculi corruptoris puerorum, et inruentes in eum discipuli*

fuit 'Zopyrus' Phaedonis, id quod mihi maxime probabile, etsi non tam certum quam Lud. Prellero (Ausgew. Aufsätze p. 370) et Rudolpho Hirzelio (Mus. Rhen. XLV, 426) videtur, sive 'Physiognomonicus Antisthenis' sive alius.[1]) ac quoniam eadem in illa

---

inlatum magistro vellent ultum ire convicium, indignationem eorum hac dicitur compressisse sententia: παύσασθε, ἑταῖροι· εἰμὶ γάρ, ἐπέχω δέ, id est: quiescite, o sodales: etenim sum, sed contineo, et apud Arabes in Philemonem, ut qui summi physiognomonis famam apud eos haberet, aeque ac Socrates in Hippocratem transiit. cf. praeter locos quos de Aristot. quae fer. secr. secr., Kiliae 1888 p. 4, 11 sq. (= t. II p. 186 sq.) et p. 21 congessi singularem formam narratiunculae e Constantinopolitana epitoma 'physiognomoniae Philemonis' infra p. LXXXVII sq. a me prolatam. Ibn Abi Useibia tamen I p. 27 ed. A. Mueller, postquam eodem quo auctor Secreti Secretorum fonte usus narratiunculam de Philemone et Hippocrate rettulit, *haec,* inquit, *narratio etiam de Socrate philosopho et eius discipulis traditur.*

1) Zopyri, dialogi Phaedonis, quas praeter titulum (Laert. Diog. II, 9, 2, 105 (*Φαίδων*) *διαλόγους δὲ συνέγραψε γνησίους μέν, Ζώπυρον, Σίμωνα κτλ.* Suidas s. v. *Φαίδων· διάλογοι δὲ αὐτοῦ Ζώπυρος, Μήδιος, Σίμων*) habemus paucas reliquias, eae quidem huic coniecturae veritatis calculum non adiciunt. sunt enim, quod sciam, hae: Theon. progymn. c. 3 *ὁποῖός ἐστι καὶ παρὰ τῷ Σωκρατικῷ Φαίδωνι μῦθος ἐν τῷ Ζωπύρῳ· φασὶ τοίνυν, ὦ Σώκρατες, τὸν νεώτατον βασιλέως υἱὸν χαρίσασθαί τινι λέοντος σκύμνον ... καί μοι δοκεῖ ὁ λέων σύντροφος ὢν τῷ παιδὶ νεανίσκῳ ἤδη ὄντι ἀκολουθεῖν, ὅπου βαδίζοι, ὥστε οἵ γε Πέρσαι ἐρᾶν ἔφασαν τοῦ παιδὸς αὐτὸν καὶ τὰ ἑξῆς*, Antiattic. in Bekkeri Anecd. p. 107, 1 *λογάρια· ὑποκοριστικῶς. λογάριά μοι λέγει, Φαίδων Ζωπύρῳ* (cf. Phot. lex. p. 229, 23 *λογάρια· Φαίδων Σωκρατικὸς Ζωπύρῳ*, Poll. II, 122 *παρὰ Φαίδωνι λογάρια καὶ λογοποιήματα,* quibus de locis cf. Augusti Nauckii Bemerkungen zu Kock Com. Att. fragm. = Mélanges gréco-romains VI, 1, 82), Poll. III, 18 *Φαίδων δ' ἐν τῷ Ζωπύρῳ καὶ ἀβελτερίαν εἴρηκε προπαππικήν.*

E Physiognomonico Antisthenis unum habemus fragmentum, sed quod ad dialogi argumentum coniectura assequendum nihil faciat, servatum ab Athenaeo XIV p. 656 f *Ἀντισθένης* (*Ἀντιφάνης* A. correxit Dindorfius) *δ' ἐν Φυσιογνωμονικῷ· καὶ γὰρ ἐκεῖναι τὰ δελφάκια πρὸς βίαν χορτάζουσιν.* incertum est quod Laertium Diogenem VI, 1, 9, 15 in indice

narratiuncula Socrati opprobrio dantur quae ab Aristoxeno Tarentino in vita Socratis dicente eum σφο-

---

dialogorum Antisthenis verbis περὶ σοφιστῶν φυσιογνωμονικὸν unum dialogum indicasse putant. nam idem difficile est ad statuendum in eiusdem indicis verbis paulo post sequentibus περὶ νίκης οἰκονομικός. cf. Fr. Susemihlium in annal. philolog. CXXXV, 207. incertius est, quod Adolphus Mueller de Antisth. Cyn. vit. et script., Marburgi Cattorum 1860 p. 44 coniectavit Antisthenem Zopyri artem ad deridendos sophistas, quos cum servabus porculos per vim saginantibus comparasset, adhibuisse. nam illud ἐκεῖναι τὰ δελφάκια πρὸς βίαν χορτάζουσι, quocum Platonis illud rep. II, 13 p. 372d εἰ δὲ ὑῶν πόλιν, ὦ Σώκρατες, ἔφη, κατεσκεύαζες, τί ἂν αὐτὰς ἄλλο ἢ ταῦτα ἐχόρταζες componi velim, nihil ad Zopyri artem pertinet. omnium autem incertissimum, quod Ferd. Duemmler Akademika p. 209 e similitudine quam dispicere sibi visus est inter illud fragmentum et Cratetis epistulam 24 conclusit dialogum Antisthenis βίων quandam πρᾶσιν fuisse. nam similitudo illa nulla est [cf. p. CXC].

Minus probabile duxerim *Μαγικὸν* fuisse fontem, e quo scriptores illam de Zopyro narratiunculam hauserint. nam etsi e Laertii loco II, 45, quem supra p. VII not. 1 laudavi, probabile fit Aristotelem eam commemorasse et primo quidem loco sese dialogus ille *Μαγικός* inscriptus praebet, quem alii Aristoteli, alii Antistheni sive Socratico sive Rhodio tribuerunt secundum Suidam (s. v. Ἀντ. Ἀθηναῖος — συνέγραψε — Μαγικόν· ἀφηγεῖται δὲ περὶ Ζωροάστρου τινὸς μάγου εὑρόντος τὴν σοφίαν· τοῦτο δέ τινες Ἀριστοτέλει, οἱ δὲ Ῥόδωνι (Ῥοδίῳ corr. Bernhardy) ἀνατιθέασι) et Vitam Aristotelis (ed. Rose, Arist. qui ferebantur librorum fragmenta, Lipsiae 1886 p. 18, 192 ψευδεπίγραφα· μαγικόν), tamen e verbis Suidae ἀφηγεῖται δὲ περὶ Ζωροάστρου τινὸς μάγου εὑρόντος τὴν σοφίαν consequitur hunc dialogum de Zoroastre egisse, id quod nuper etiam R. Hirzelius (Mus. Rhen. XLV, 422) neglexit, cuius totam de *Μαγικῷ* opinionem amplecti non possum. neque magis probarem, si quis hunc *Μαγικὸν* eundem esse dialogum diceret, quem *Φυσιογνωμονικὸν* appellaverunt Athenaeus et Laertius l. l. nam quamquam physiognomoniam cum magia cohaesisse multi veterum loci demonstrant, (ut Alex. Aphrod. de fato c. 6, quem supra p. X exscripsi, Clem. Alex. strom. I, 21, 135 ἐκ παρατηρήσεως καὶ ἐξ εἰκότων προειρηκότες, καθάπερ οἱ φυσιογνωμονοῦντες ἰατροί τε καὶ μάντεις, Artemid. onir. II, 69 ὅσα γὰρ ἂν λέγωσι Πυθαγορισταί, φυσιογνωμονικοί, ἀστραγαλομάντεις, τυρομάντεις, κοσκινομάντεις, μορφοσκόποι, χειροσκόποι, Plin. n. h. XXXV, 88 *(Apelles) imagines adeo similitudinis indiscretae pinxit ut — incredibile*

δρότατον περὶ τὰ ἀφροδίσια, ἀπαίδευτον καὶ ἀμαθῆ καὶ ἀκόλαστον fuisse[1]), proclivis est coniectura hunc quoque illam novisse atque in suum usum convertisse.

Quod autem e Pseudoplutarchi vestigia auctoris illius dialogi aperte quam maxime prementis verbis elucet Socratis tempore scientiam artemque physiognomoniae Athenis fuisse nullam, idem de universa fere Graecia valere puto, etsi Pythagoram physiognomoniae inventorem fuisse scio traditum esse et ab Hippolyto refut. haeres. I, 2 *ἐφήψατο δὲ καὶ μαγικῆς, ὥς φασι, καὶ φυσιογνωμονικὴν αὐτὸς ἐξεῦρεν* et a Porphyrio vit. Pythag. § 13 *φυσιογνωμονήσας καὶ τὰς κινήσεις καὶ τὰς ἠρεμίας τοῦ σώματος ἐπισκεψάμενος ἐπαίδευσε· ταύτην γὰρ ἠκρίβου πρῶτος τὴν περὶ ἀνθρώπων ἐπιστήμην, ὁποῖος τὴν φύσιν ἕκαστος, ἐκμανθάνων. καὶ οὔτ' ἂν φίλον οὔτε γνώριμον ἐποιήσατο οὐδένα, πρὶν πρότερον φυσιογνωμονῆσαι τὸν ἄνδρα, ὁποῖός ποτ' ἐστίν*[2]), qui minus accurate usus est[3]) eodem auctore Nicomacho Geraseno, quo Iamblichus vit. Pyth. XVII, 71 *προσεθεώρει δὲ καὶ τὸ εἶδος καὶ*

---

dictu — Apio grammaticus scriptum reliquerit quendam ex facie hominum divinantem, quos metoposcopos vocant, ex iis dixisse aut futurae mortis annos aut praeteritae vitae, Plut. Sull. 5, 5, Damasc. vit. Isidor. apud Photium bibl. p. 342^b 6 sq. (vide p. LXXIV not.), tamen eiusmodi duplex tituli forma vix explicari posset.

1) Mueller fr. hist. gr. II, 280.

2) Cf. § 54 *Κύλων ἀνὴρ Κροτωνιάτης — πρόσεισι τῷ Πυθαγόρᾳ ἑαυτὸν ἐπαινῶν καὶ βουλόμενος συνεῖναι αὐτῷ, ὁ δ' εὐθὺς φυσιογνωμονήσας τὸν ἄνδρα καὶ ὁποῖος ἦν συνιδὼν ἐκ τῶν σημείων, ἃ διὰ τοῦ σώματος ἐθήρα τῶν προσιόντων, ἀπιέναι ἐκέλευσε καὶ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν.*

3) Ad Antonium Diogenem Porphyrii, ad Apollonium Tyaneum Iamblichi locum referendum esse censuit Rohdius, der griechische Roman p. 254 et Mus. Rhen. XXVII, 31.

τὴν πορείαν καὶ τὴν ἄλλην τοῦ σώματος κίνησιν (*τῶν ὁμιλητῶν*) *τοῖς τε τῆς φύσεως γνωρίσμασι φυσιογνωμονῶν αὐτοὺς σημεῖα τὰ φανερὰ ἐποιεῖτο τῶν ἀφανῶν ἠθῶν ἐν τῇ ψυχῇ*[1]) et fortasse etiam Gellius N. A. I, 9, 2 *iam a principio adulescentes qui sese ad discendum obtulerant ἐφυσιογνωμόνει: id verbum significat mores naturasque hominum coniectatione quadam de oris et vultus ingenio deque totius corporis filo atque habitu sciscitari* (cf. Cic. de fato V, 10 supra p. VIII). nam hoc posterioris aetatis commentum esse mihi videtur.

Maiore cum veritatis specie Hippocrates auctor scientiae physiognomonicae appellatur a Galeno anim. mor. corp. temp. c. 7 t. IV p. 797 K. p. 57 ed. Iw. Mueller, Lipsiae 1891 *⟨οὐκ⟩ ὀλίγων δὲ μέμνηται καὶ κατ' ἄλλο σύγγραμμα φυσιογνωμονικῶν θεωρημάτων, ὧν καὶ παρεθέμην ἄν τινας ῥήσεις, εἰ μήτε μακρολογίας ἔμελλον ἀποίσεσθαι δόξαν ἀναλίσκειν τε τὸν χρόνον μάτην ἐξὸν ἐπὶ τὸν πάντων ἰατρῶν τε καὶ φιλοσόφων πρῶτον εὑρόντα τὴν θεωρίαν ταύτην ἀφικέσθαι μάρτυρα, τὸν θεῖον Ἱπποκράτην.* nam attentissima observatio signorum morborum, mortis, temperamentorum, effectuum, quos aër, aqua, solum in condicionem et corporis et morum hominum habent, artissime cum illa cohaeret eamque paene pedisequam habere debuit. quid? quod ille medicorum physiognomoniae expertium artem in tenebris versari et hebescere professus est, si fides habenda est eidem Galeno de decubitu 1 (t. XIX p. 530 K.) *Ἱπποκράτης*

1) Cf. § 74 *εἰ δὲ μετὰ τὸ ἐκ μορφῆς τε καὶ βαδίσματος καὶ τῆς ἄλλης κινήσεώς τε καὶ καταστάσεως ὑπ' αὐτῶν* (*αὐτοῦ* Kuster) *φυσιογνωμονηθῆναι.*

γοῦν ὁ πολὺς σὺν τῇ ἀρχαιότητι καὶ θαυμαστὸς τὴν ἐπιστήμην φησίν· ὁπόσοι τὴν ἰατρικὴν ἀσκέοντες φυσιογνωμονίης ἀμοιρέουσι, τουτέων ἡ γνώμη ἀνὰ σκότος καλινδουμένη νωθρὰ γηράσκει (= syll. loc. phys. fr. 11). atque etiam nunc in libris Hippocratis et Hippocraticorum nonnulla de physiognomonia tum ethnographica tum pathognomica bene observata leguntur. cf. syll. loc. phys. fr. 12—29.

Athenis autem inde a Socratis tempore physiognomoniae studium vigere coepisse arbitror, non quod maiorem quam de Pythagora fidem habeam narratiunculae quae est de Platone apud Apuleium de Plat. I, 1 *cum hoc Socrates in conventu hominum referret, Ariston Platonem puerum oblaturus Socrati magistro commodo prosequebatur. quem ubi adspexit ille ingeniumque intimum de exteriore conspicatus est facie: 'hic ille erat, amici,' inquit, 'de Academia Cupidinis cygnus'*, sed quia Antisthenis fuit dialogus *Φυσιογνωμονικός* inscriptus[1]) et quia Socrates cum Parrhasio pictore physiognomoniae vindex est apud Xenophontem Mem. III, 10, 5 (= syll. loc. phys. fr. 30) *ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ μεγαλοπρεπές τε καὶ ἐλευθέριον καὶ τὸ ταπεινόν τε καὶ ἀνελεύθερον καὶ τὸ σωφρονητικόν τε καὶ φρόνιμον καὶ τὸ ὑβριστικόν τε καὶ ἀπειρόκαλον καὶ διὰ τοῦ προσώπου καὶ διὰ τῶν σχημάτων καὶ ἑστώτων καὶ κινουμένων ἀνθρώπων διαφαίνει. Ἀληθῆ λέγεις, ἔφη* (cf. § 8 *δεῖ ἄρα τὸν ἀνδριαντοποιὸν τὰ τῆς ψυχῆς ἔργα τῷ εἴδει προσεικάζειν*), quem locum excepto Augusto Krohnio nemo posterioris originis esse credidit. etiam

---

1) Vide p. XI not. 1 et p. CXC.

Aristoteles de anim. gen. IV, 3 p. 769^b 18 (= syll. fr. 50) *διὸ πολλάκις οἱ σκώπτοντες εἰκάζουσι τῶν μὴ καλῶν ἐνίους τοὺς μὲν αἰγὶ φυσῶντι πῦρ, τοὺς δ' οἰὶ κυρίττοντι. φυσιογνώμων δέ τις ἀνῆγε πάσας εἰς δύο ζῴων ἢ τριῶν ὄψεις καὶ συνέπειθε πολλάκις λέγων* de physiognomone quodam qui omnes ad duas vel tres species animalium rettulerit ita verba fecit, ut is aetatis praeteritae fuisse videatur. atque inde ab illo tempore etiam in Atticis litteris obvia fiunt primum rariora, pedetemptim frequentiora vestigia physiognomoniae zoologicae, ethnographicae, pathognomicae, ut apud Platonem (Phaedr. p. 253 C; Phaed. p. 81 F; Rep. V, 11 p. 435 E; Leg. IV, 1 p. 705 A; V, 16 p. 747 D; Tim. p. 24 C; Criti. p. 109 C; Rep. V, 19 p. 474 D; Tim. p. 86 E = syll. loc. phys. fr. 31—38).[1])

Etiam multo largior est messis locorum qui ad physiognomoniam spectant apud Aristotelem. atque rationem quidem eius ipsam methodumque pluribus exponit Anal. prior. II, 27 p. 70^b 7 *τὸ δὲ φυσιογνωμονεῖν δυνατόν ἐστιν, εἴ τις δίδωσιν ἅμα μετα-*

1) Placita vero physiognomonica 'Platonis' quae Albertus Magnus passim in libro de animalibus I, 2 p. 21^a 14; 34^b 13; 35^b 40, 56, 58, 66; 38^b 66 etc. protulit, Polemonis sunt (de Apulei quae fertur physiognomonia recensenda = Jahrb. d. Philol. Suppl. XV, 560), aeque atque ea quae Meïr Aldabius, Iudaeus Toletanus, encyclopaediae anno 1360 compositae et inscriptae Schebilé Emuna fol. 45 usque ad fol. 52^b ed. Riv. di Trent. 1558 inseruit (de Polemonis physiognomonicis, Kiliae 1886 p. 2) et quae Iosephus ibn Sebara, Iudaeus Barcinonensis, sub finem saeculi XII in 'libro delectationis' circa annum 1577 Constantinopoli edito fol. 15^b e 'Platonis libro physiognomoniae' laudavit, Polemonis pseudepigraphi (= Secr. Secr.) sunt, ut ex iis cognovi, quae Adolphus Neubauer ex exemplari Bodleiano (Oppenheim-Sammlung 880 oct.) in nostrum sermonem conversa mihi misit.

ἀλλειν τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν, ὅσα φυσικά ἐστι αθήματα κτλ. (= syll. fr. 39); differentiam generis nasculini et feminini, quae in specie externa cernitur, xplicat hist. anim. IV, 11 p. 538^b 7 (= syll. fr. 44)[1]); hysiognomoniam animalium copiose persequitur hist. nim. I, 1 p. 488^b 12 et VIII, 1 p. 588^a 18 (= syll. r. 41 et 46; cf. 47—50; 57; 58); vestigia Hippocratis t Platonis secutus physiognomoniam chorographi-am vel gentilem profitetur Polit. VII, 7 p. 1327^b 23 t III, 14 p. 1285^a 19 (= syll. fr. 55).[2]) plurimae utem sunt observationes speciei quam iam supra oce pathognomica comprehendi: de anima II, 9 p. 421^a 25 οἱ μὲν γὰρ σκληρόσαρκοι ἀφυεῖς τὴν διά-νοιαν, οἱ δὲ μαλακόσαρκοι εὐφυεῖς (= syll. fr. 40)[3]); ist. anim. I, 9 p. 491^b 12 sq., quem locum permulti xscripserunt, et 15 p. 494^a 16 (= syll. fr. 42 et 43); le part. anim. II, 2 p. 648^a 2; 4 p. 650^b 22; III, 4 p. 667^a 9 (= syll. fr. 47—49); de gen. anim. IV, 5 p. 774^a 36 et V, 7 p. 786^b 35 (= syll. fr. 51 et 52); th. Nicom. IV, 7 p. 1123^b 6 et 14 p. 1128^a 10 (= syll. fr. 53 et 54); probl. IV, 18 p. 878^b 22; 31 p. 880^a 34; 880^b 4; = X, 24 p. 893^b 13; X, 60 p. 898^a 4; XXXI, 7 p. 958^a 16 (= syll. fr. 56—58 et 62).

1) Cf. IX, 1 p. 608^a 21 = syll. fr. 45.

2) Cf. Probl. XIV, 1 p. 909^a 13; 8 p. 909^b 9 = 16 p. 910^a 38; 15 p. 910^a 26 (= syll. fr. 59—61).

3) Recensio codicis Parisini 1853 (ed. Torstrik p. 60) et Vaticani 1339 (ed. Rabe p. 28, 25) hunc canonem ita exhibet: ὧν μὲν γὰρ ἡ (om. Par.) σὰρξ μαλακή, εὐφυεῖς, οἱ δὲ σκληρόσαρκοι ἀφυεῖς τὴν διάνοιαν.

I.

Sub Aristotelis autem nomine ad nostram aetatem propagatus est etiam peculiaris *φυσιογνωμονικῶν* libellus, qui agmen ducit scriptorum hoc corpore comprehensorum.

Ac dubitari quidem vix poterit, quin idem sit atque is qui in indice[1]) operum Aristotelicorum fertur (Laert. Diog. V, 12, 25 *φυσιογνωμονικὸν ᾱ*; Vit. Arist. ed. Rose, Arist. qui ferebantur libr. frr. p. 14 n. 97 *φυσιογνωμονικὰ β̄*). sed neque integer liber est, quoniam multis locis compositio hiat, neque unus, quoniam in diversis partibus et methodus et placita e parte valde dissona sunt, sed reliquiis vel potius analectis non usquequaque cum cura paratis continetur duorum libellorum, e quorum priore (A) capita I—III (§ 1—34), altero (B) capita IV—VI (§ 35—73) fluxerunt.[2]) vestigium huius originis bipertitae non solum in hac re quaeri potest, quod Vita Aristotelica opus illud duobus libris constitisse testatur, sed etiam quod in vetere codice, quem Bartholomaeus Messanensis interpretans secutus est, a capite IV secunda pars exorsa est teste Patavino interpretationis codice, qui

1) Index Ptolomaei librum non exhibet.

2) Haec exposui commentatione de Arist. phys. indole ac condicione (Philolog. Abhandlungen f. M. Hertz p. 283 sq.) consentiens cum Rosio (Arist. pseud. p. 697).

illo loco titulum praebet: *Incipit secunda particula de signis particulariter* (t. I p. 41). cf. p. LVI sq.

Uterque libellus rationem artis physiognomonicae paulo fusius etsi diverse exposuit; A de signis corporis valde succincte, de speciebus autem copiose, B vero de signis corporis uberrime egit, species autem constituere omisisse videtur. ceterum etsi in singulis discedunt, tamen ratio universa tractandi tam similis est, ut utrumque libellum si non in eodem, certe in confini campo provenisse putandum sit. inde tantum quod physiognomonia syllogistica in A (c. I) primum excogitata dicitur, in B simpliciter adhibetur, B posteriorem esse quam A colligi potest[1]), neque huic rei obloquitur, quod A contra methodum in B usurpatam pugnat. haec enim methodus a B non inventa, sed recepta videtur. neutrum libellum ab Aristotele scriptum esse et rationis ipsius physiognomonicae et rerum singularum et elocutionis diversitas[2]) docet, utrumque autem peripateticorum prin-

1) Idem sibi videri Curtius Wachsmuthius mihi scripsit, nisi quod multo posterioris originis esse credat B libellum, quippe qui in iis quae de pectoris vi physiognomonica proferat a stoicorum de pectore, animae habitaculo, doctrina pendeat. aliter me de hac re sentire iam l. l. p. 292 indicavi.

2) Cf. quae l. l. p. 286 sq. congessi. si excipis auctorem Fihristi (cf. p. XXIII), primi, quod sciam, de authentia dubitationem moverunt Franciscus Sanchez, in academia Tolosana professor († 1632), qui tantum formam temeratam (t) versionis latinae novit, in commentario in librum Aristotelis Physiognomicôn (Fr. Sanchez, tractatus philosophici, Roterodami 1649 p. 299) his verbis: *De authore maior est ambiguitas. Nam prima quidem pars operis sane omnino redolet Aristotelis stylum, docendi methodum et gravitatem. At vero secunda, quae incipit a capite septimo* [id est B], *multoque magis a capite octavo usque ad finem, non adeo secure eius authoris dici debere vide-*

cipis vestigia legisse similitudines quaedam et rationis et singulorum placitorum produnt et scholae peripateticae fuisse cum Rosio (Ar. pseud. p. 697) probabile esse iudicaverim.

Hiatus vitandi studium singulare nunc saltem in neutro libello conspicuum est, etsi hoc fere discrimen observare licet. A hiatum vitavit constanter post *κατά*, plerumque post *ἀλλά*, rarius post *δέ*, rarissime post *τε*, semel (p. 16, 3) dixit *ἔπειτ' ἐφεξῆς*, semel (p. 16, 5) *τοὔνομα*; B vitavit hiatum plerumque post *ἐπί*, nonnunquam post *δέ*, semel dixit *ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλων* (p. 86, 13).

Amborum autem libellorum, qui solum ob argumenti similitudinem coniuncti esse videntur, reliquiae tantum ad nos pervenerunt. plenius hoc opusculum duobus libellis comprehensum, nisi omnia fallunt, legit Suetonius, e cuius *περὶ βλασφημιῶν* libro manaverunt quae sunt apud Pollucem II, 135 *βυσαύχην δὲ ὁ τοὺς μὲν ὤμους ἀνέλκων, τὸν δὲ αὐχένα συνέλκων, ὃν ἐπίβουλον Ἀριστοτέλης φυσιογνωμονεῖ* (cf. Hesych. s. v. *βυσαύχην*) et apud Eustathium ad Il. *λ*, 159 p. 838, 18 *σημαίνει ὁ βυσαύχην τὸν ἐπιβουλευτικόν, ὥς φασιν οἱ παλαιοί*[1]) (= syll. fr. 79);

---

tur. *Tamen quia nemo hactenus dubitavit libellum hunc Aristoteli ascribere; ideo nos veluti illius suscipiemus;* et Iulius Caesar Bulengerius de ratione divinationis lib. III (opuscul. system. Lugd. 1621 p. 216): *ait Aristoteles aut quisquis auctor est libri Physiognomiae, quae Aristoteli tribuitur.* authentiam defendit Ioannes Baptista Porta de hum. physiogn. lib. III p. 307 ed. Rothomag. 1650.

1) De iis quae sequuntur *καὶ ἴσως φυσιογνωμονικῶς ἐρρέθη ὡς ἀπὸ ζῴων, ὅσα λοχῶντα ἢ ἄλλως θυμούμενα σιμοῦσι τοὺς αὐχένας ἐν τῷ μέλλειν ἐμπηδᾶν* non tam confidenter quam

certe Polemo, sophista Laodicensis, qui magnam partem operis de physiognomonia conscripti huic opusculo neque solum alteri (B), sed etiam, quamquam minorem, priori parti (A) debet, id quod contra Rosium (de Arist. libr. ord. et auctor. p. 222) commentatione de Arist. phys. indole p. 294 ostendi; auctor physiognomoniae latinae (La) saeculi IV, qui etsi Polemonem potissimum auctorem secutus est, tamen iis quae ex hoc sumpsit quaedam ex *Aristotele* modo immiscuit modo assuit atque sub huius nomine citavit, quae et in A et in B inveniuntur; denique aetate infima Pseudo-Polemo, qui epitomae libelli Adamantii inde a § 70 (t. I p. 427 sq.) nonnulla huius opusculi placita subiunxit.[1])

Utrum plenius hoc opusculum (= Ar.) etiam in Syrorum et Arabum cognitionem venerit, nunc quidem nondum stabiliri potest. inde enim quod in Gregorii Bar-Hebraei Syri (1226—1286) 'narrationibus laetis' c. 20 (cod. Vatic. syr. 173 fol. 155 sq.)[2]) tres exstant loci physiognomonici, quorum duo cum nostro opusculo aliquatenus concinunt, cavendum est colligamus etiam tertium ex illo olim pleniore sumptum esse. nam primum Aristotelis nomen omnino deest, et duo illi loci, ut dixi, non plane cum Ari-

---

Leopoldus Cohn in annal. philol. suppl. XII, 347 idem dixerim. potuit ea Eustathius aeque atque quae de equis et cycnis praecedunt (*ἰστέον δὲ ὅτι τε ταὐτὸν ἐριαύχενα εἰπεῖν καὶ δουλιχόδειρον, εἰ καὶ τὸ μὲν ἵπποις, τὸ δὲ κύκνοις δεδόσθαι δοκεῖ*) aliunde vel de suo addere; quin etiam iure luporum mentionem exspectares, si etiam haec ad Suetonium redirent.

1) Cf. de Polemonis physiognomonicis p. 10; de Arist. phys. indol. p. 299 et 301.

2) Cf. Assemani, Catal. bibl. apost. Vat. III, 354.

stotelicis conveniunt. nam confer locum Gregorii fol. 155[1]): *mollis coma significat timorem et crassa fortem animum. camelus lepus ovis mollem comam habent. leo et sus ferus crassam comam habent. atque etiam in avibus hoc signum reperitur. multitudo comae in ventre multitudinem libidinis significat, et hoc observatur in avibus* cum Ar. Phys. § 9 *τὰ δὲ τριχώματα τὰ μὲν μαλακὰ δειλόν, τὰ δὲ σκληρὰ ἀνδρεῖον. — δειλότατον μὲν γάρ ἐστιν ἔλαφος λαγωὸς πρόβατον καὶ τὴν τρίχα μαλακωτάτην ἔχει, ἀνδρειότατον δὲ λέων ὗς ἄγριος καὶ τρίχα σκληροτάτην φέρει. ἔστι δὲ καὶ ἐν τοῖς ὄρνισι τὸ αὐτὸ τοῦτο ἰδεῖν. — ἡ δὲ δασύτης ἡ περὶ τὴν κοιλίαν λαλιὰν*[2]) *σημαίνει, τοῦτο δὲ ἀναφέρεται εἰς τὸ γένος τῶν ὀρνίθων* et locum fol. 155ᵛ *is cuius labium superius maius est quam inferius et cuius color ruber est et cuius incessus celer est, facile ad altercationem pronus est* cum Ar. Phys. § 28 *φιλολοίδοροι· οἷς τὸ ἄνω χεῖλος μετέωρον καὶ τὰ εἴδη προπετεῖς, ἐπίπυρροι.* tertius autem locus fol. 157 *femina cuius nasi acumen valde parvum est et cuius oculi magni et nigri sunt et quae aliquantulum rubri in laevo oculo habet, verecunda femina et aliena ab impudicitia et in angulo abdita latet* (i. e. *bona mater familias est*) a ratione physiognomonica huius opusculi absonus esse mihi videtur.

Ex Arabum vero scriptorum numero titulum tantum opusculi commemoraverunt Muhammedus Ibn

---

1) Hunc et sequentes locos praebeo latine redditos e versione germanica quam Morales (Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft XL p. 410) publici iuris fecit.

2) Gregorius *λαγνείαν* legisse videtur.

Ishâq, auctor libri qui inscribitur Fihrist (circa annum 987), I p. 314 (cf. II, 155) citans 'Polemonem et physiognomoniam Aristoteli suppositam', et Hâdschî Chalifa in dictionario bibliographico V, 10361 (*Kitáb el-firáset, Aristotelis liber de Physiognomonia. librum eiusdem tituli edidit Fakhr-ed-din Mohammed Ben Omar Rázi anno 606* [inc. 6 Iuli 1209] *mortuus*). locus autem unicus quem e versione arabica opusculi ab ipso Romae apud patriarcham Antiochenum inspecta Ioannes Baptista Porta[1]) protulit: *Qui habent acutum mentum, sunt animosi et fortes et ad leones referuntur,* etsi paululum distat, tamen non diversus esse videtur a verbis Ar. phys. § 69 *οἱ δὲ ἀκρογένειοι εὔψυχοι· ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς κύνας* (cf. La § 84 t. II p. 112, 10 sq.). item pauca illa, quae Michael Scotus ex hac arabica versione in 'librum Phisionomiae' ad preces Friderici II imperatoris maximam partem e Rasis ad Almansorem de medicina opere, minorem partem e Secreto Secretorum consarcinatum recepit part. II cap. XXII et XXIII[2]), in prooemio huius opusculi (c. I) reperiuntur. nam conferas

---

1) De hum. physiogn. lib. II p. 198 ed. Rothom. 1650: *In Arabico textu Aristotelis cuius nobis Anthiochenus Patriarcha Romae copiam videndi fecit, legitur: Qui habent* etc.

2) Usus sum editione s. l. e. a. (= Hain, Repertorium 14549; cf. Steifium in Centralblatt f. Biblioth. III p. 479). de aliis editionibus infra (cap. V) disseram. Michaelem Scotum versione Bartholomaei Messanensis usum esse vel temporum rationibus excluditur. Scotus enim iam anno 1235 mortuus erat, Bartholomaei autem versio intra annos 1258 et 1266 facta est. cf. de translatione latina physiognomonicorum quae feruntur Aristotelis, Kiliae 1884 p. 27 et de Arist. quae fer. secret. secret. p. 29.

Ar. Phys. § 1

Ὅτι αἱ διάνοιαι ἕπονται τοῖς σώμασι καὶ οὔκ εἰσιν αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς ἀπαθεῖς οὖσαι τῶν τοῦ σώματος κινήσεων, τοῦτο [δὲ] δῆλον πάνυ γίνεται ἔν τε ταῖς μέθαις καὶ ἐν ταῖς ἀρρωστίαις κτλ.

καὶ τοὐναντίον δὴ τοῖς τῆς ψυχῆς παθήμασι τὸ σῶμα συμπάσχον φανερὸν γίνεται περί τε τοὺς ἔρωτας καὶ τοὺς φόβους τε καὶ λύπας καὶ τὰς ἡδονάς.

Scot.

Revertentes autem ad doctrinam phisionomie in hominibus et bestiis dicimus quod anime sequuntur corpus et ipse anime secundum se ipsas non sunt passibiles (corr. *impassibiles*) *a motibus corporis in quibus morantur certo spacio vite temporalis, in cuius ultimo separantur et corpus manet. hoc autem manifestum est de motibus valde per ebrietatem vini vel amoris vel tristicie laboris et egritudinis.*

§ 4

πρῶτον μὲν γὰρ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν οὕτως ὅμοιον θηρίῳ ἄνθρωπον οὐδεὶς ἂν εὕροι, ἀλλὰ προσεοικότα μέν τι.

Item dicimus, quod nullus homo vidit umquam hominem veraciter ex toto esse similem bestie, licet dicatur de simiis, sed assimilatur operatione nature in aliquibus.

Ar. Phys. ib.	Scot.
τὰ μὲν οὖν κοινὰ τῶν σημείων οὐδὲν ἂν διασαφήσειε τῷ φυσιογνωμονοῦντι.	*Unde nemo potest phisionomizare per signa communia sive sint hominis sive bestiarum, sed per signa propria tantum, que licet omnes homines possent habere, tamen non omnia habent in se.*

Neque in placito part. III cap. LXXI (fol. e, III^b l. 6) *cuius vox incipit a gravi et finit in altum, significat hominem iracundum impetuosum audacem et tutum* aliud quicquam agnoscendum esse videtur nisi paululum amplificata et mutata sententia Ar. Phys. § 71 *ὅσοι δὲ φωνοῦσιν ἀπὸ βαρέος ἀρξάμενοι, τελευτῶσι δὲ εἰς ὀξύ, δυσθυμικοὶ ὀδύρται.*

Physiognomonia autem Aristoteli ascripta, cuius versio turcica inscripta 'tractatus de scientia physiognomoniae Aristotelis' codicis Bodleiani (Uri) 14 (Marsh. 43) foliis 119^v—123^v continetur, omnino hoc opusculum non continet, sed caput ultimum de physiognomonia est operis quod falso fertur Aristotelis Secreti Secretorum.[1])

Neque quicquam cum hoc opusculo commune habet 'phisnomia', quae modo, ut in codicibus Sloaniano 3469 fol. 34 et Cottoniano Iul. D. VIII fol. 131, Aristoteli, modo Avicennae, modo Averroi tributa est.[2])

Re autem vera in Ar. exstant quae longe plurimam partem efficiunt breviarii physiognomonici arabici la-

1) Cf. Centralblatt für Bibliothekswesen VI p. 57 sq.
2) Cf. quaestiones physiognomonicas, Kiliae 1890 p. 15 sq. et quae infra (cap. V) exponam.

tine a me t. II p. 149 sq. editi, quod Polemonis nomen mentitur in codice Gothano arab. 85 (catal. acc. 1757) fol. 23—29 ac quocum ex eodem fonte manavit libellus, quem Rases in medicina ad Almansorem II cap. 27 sq. et auctor Secreti Secretorum, etsi hic quidem minus, expilaverunt[1]) (t. II p. 161 sq. et p. 181 sq.).

Maximus vero est numerus locorum a compilatore operis physiognomonici, quem breviter Damascenum appellare liceat, sub Aristotelis nomine laudatorum, qui ab Ar. absunt. est is 'liber rectionis de scientia physiognomoniae' (Kitâb al-sijâsa fî ilm al-firâsa) editus, sed pessime, Cairi anno 1882[2]), concinnatus ab Abû Abdallâh Samsal-dîn Muhammed ibn Abî Tâlib al-Ansârî al-Sûfî al-Dimisqî (1256—1327) e septem fontibus per certas litteras significatis, qui sunt Polemo, Aristoteles, Almansûrî (id est Rases, auctor medicinae ad Almansorem), al-Râzî (id est Fakhr-eddin Razi, cf. p. XXIII), Ilâwûs, al-Sâfiyî, Ibn al-Arabî, sed inde eum hoc opusculo pleniore usum esse minime consequitur. nam quoniam quae e Polemone, fonte potissimo, citavit collata cum huius versione arabica probant eum neque in ordine neque in rebus ipsis vestigia illius accurate tenuisse, sed in mutando, miscendo, omittendo, addendo summa cum licentia versatum esse, vix dubitari poterit, quin idem in Ar. commiserit. itaque ut quivis de fide illius iudicare possit, optimum esse duxi locos qui huc faciunt conferre, ut a Georgio

1) Cf. de Secr. Secr. p. 17 sq. et quae infra (cap. V) exponam.
2) Etiam codice Berolinensi Sprengeriano 1930 continetur, ut Mauricius Steinschneider benigne mecum communicavit.

Hoffmanno meum in usum ex arabico conversi sunt, ac primum quidem eos qui aliquatenus similes sunt:

c. 9 p. 22, 8 *supercilium quod in fronte nasum versus erigitur et quod ad tempora descendit, amorem morum perditorum multumque malitiae indicat*	Ar. § 69 p. 80, 2 *οἱ δὲ τὰς ὀφρῦς κατεσπασμένοι πρὸς τὴν ῥῖνα, ἀνεσπασμένοι δὲ πρὸς τὸν κρόταφον εὐήθεις*
p. 23, 27 *oculus qui similis est caprino, velut si clara potio [aqua] est, salacitatem significat*	Ar. § 68 p. 76, 16 *οἷς δὲ αἰγωποί (οἱ ὀφθαλμοί), μάργοι*
p. 24, 4 *oculus cuius color medius inter luridum et viridem est, ignaviam et humilitatem significat*	Ar. § 68 p. 76, 18 *οἱ ὠχρόμματοι ἐντεταραγμένους ἔχοντες τοὺς ὀφθαλμοὺς δειλοί*
p. 24, 6 *oculus glaucus, cuius glaucum cum albo mixtum est, pudorem (impudentiam?), neglegentiam amoremque scortationis significat*	Ar. § 68 p. 76, 13 *οἷς δὲ οἱ ὀφθαλμοὶ γλαυκοὶ ἢ λευκοί, δειλοί.*
p. 25, 1 *si oculis cancri procidentia similis est, ignorantiam, perturbationem statuum, stultitiam et salacitatem indicat*	Ar. § 63 p. 70, 3 *ὅσοι ἐξόφθαλμοι, ἀβέλτεροι*
oculus perexiguus simul frequenter intuens garrulitatem, vilitatem et malam agendi rationem indicat	Ar. § 63 p. 68, 16 *οἱ τοὺς ὀφθαλμοὺς μικροὺς ἔχοντες μικρόψυχοι*

p. 25, 4 *magnus tremens oculus amorem mulierum et languorem indicat*	Ar. § 63 p. 68, 18 οἱ δὲ μεγαλόφθαλμοι νωθροί
p. 27, 25 *levis rotunda frons inconsiderantiam et ingenium incautum indicat*	Ar. § 64 p. 70, 11 οἱ δὲ περιφερὲς (μέτωπον) ἔχοντες ἀναίσθητοι. — οἱ δὲ γαληνὲς ἔχοντες κόλακες.
p. 28, 14 *debilis confracta auris incuriam et languorem indicat*	Ar. § 66 p. 72, 13 οἱ τὰ ὦτα μικρὰ ἔχοντες πιθηκώδεις — cf. Adam. II § 29 p. 380, 8 ὦτα δὲ λίαν μικρὰ καὶ ὥσπερ περιτετμημένα (φοροῦσι) μωροί
p. 29, 6 *altitudo et erectio ossis nasi egregiam naturam indicat*	Ar. § 61 p. 66, 7 οἱ ἐπίγρυπον ἀπὸ τοῦ μετώπου εὐθὺς ἀγομένην (τὴν ῥῖνα ἔχοντες) ἀναιδεῖς
p. 29, 8 *latitudo nasi omnis inscitiam et grossitiem naturae indicat*	ib. p. 66, 1 οἱ τὴν ῥῖνα ἄκροθεν παχεῖαν ἔχοντες ἀναίσθητοι
p. 29, 13 *inflatio et amplitudo narium arrogantiam et fiduciam sui indicat*	ib. p. 66, 14 οἷς οἱ μυκτῆρες ἀναπεπταμένοι, θυμώδεις
p. 29, 15 *magna crassitudo acuminis nasi patientiam in iniuria significat*	ib. p. 64, 19 οἱ τὴν ῥῖνα ἄκραν παχεῖαν ἔχοντες ῥάθυμοι
p. 29, 17 *fornicatio nasi tanta ut tertiam circuli partem efficiat cupiditatem laudis et odium hominum significat*	ib. p. 66, 4 οἱ τὴν ῥῖνα περιφερῆ ἔχοντες ἄκραν, ἀμβλεῖαν δὲ μεγαλόψυχοι

p. 30, 8 *tenuitas labiorum et alterius ad alterum applicatio, si coniunguntur, quamvis lato ore, audaciam et vehementem iram significat*

p. 30, 20 *procidentia labii inferioris malitiam et malevolam prudentiam indicat. cui tenue et rufum labium est, pulchros mores et sanum consilium habet*

p. 32, 20 *macra oblonga inter frontem et os pulchra facies inconstantiam, malos mores malitiamque significat*

p. 32, 26 *brève crassum collum fortitudinem et patientiam significat*

p. 33, 14 *apparentia scapularum et prominentia finium earum, ut duorum finium duarum alarum vulsarum instar sint, imbecillitatem animi significat item-*

Ar. § 60 p. 64, 7 οἷς τὰ χείλη λεπτὰ καὶ ἐπ' ἄκραις ταῖς συγχειλίαις χαλαρά, ὥστε τι τοῦ ἄνω χείλους πρὸς τὸ κάτω ἐπιβεβλῆσθαι τὸ πρὸς τὰς συγχειλίας, μεγαλόψυχοι

ib. p. 64, 16 ὅσοι δὲ τὸ ἄνω χεῖλος καὶ τὰ οὖλα προεστηκότα ἔχουσι, φιλολοίδοροι. — ib. p. 64, 11 οἷς τὰ χείλη λεπτὰ σκληρά, κατὰ τοὺς κυνόδοντας ἐπανεστηκότα ... εὐγενεῖς .. (corr. ἀγενεῖς)

Ar. § 62 p. 68, 1 οἱ τὰ πρόσωπα ἰσχνὰ ἔχοντες ἐπιμελεῖς

Ar. § 59 p. 62, 16 ὅσοι τὸν τράχηλον παχὺν ἔχουσιν, εὔρωστοι τὰς ψυχάς. — οἷς δὲ βραχὺς ἄγαν, ἐπίβουλοι.

Ar. § 57 p. 62, 1 ὅσοις αἱ ἐπωμίδες ἐξηρθρωμέναι καὶ οἱ ὦμοι, εὔρωστοι τὰς ψυχάς

que in tenuitate et longitudine colli	
p. 33, 17 *dependentes et carnosae scapulae fortitudinem animi et sanam naturam indicant*	ib. p. 62, 3 ὅσοις δὲ οἱ ὦμοι ἀσθενεῖς ἄναρθροι, μαλακοὶ τὰς ψυχάς
p. 34, 9 *evidens gibbus valde ignavum et saepe laetum et iocosum significat*	Ar. § 56 p. 60, 11 ὅσοις δὲ τὸ μετάφρενον κυρτόν ἐστι σφόδρα οἵ τε ὦμοι πρὸς τὸ στῆθος συνηγμένοι, κακοήθεις
p. 36, 18 *pectus multis pilis nigri coloris salacitatem et malum animum significat*	Ar. § 69 p. 78, 7 οἱ περὶ τὰ στήθη καὶ τὴν κοιλίαν ἄγαν δασέως ἔχοντες οὐδέποτε πρὸς τοῖς αὐτοῖς διατελοῦσιν
p. 37, 8 *carnosa femora celerem sollertiam significant*	Ar. § 48 p. 56, 7 οἱ τοὺς μηροὺς ὀστώδεις καὶ περιπλέους ἔχοντες μαλακοί
p. 37, 13 *amplae nates imbecillitatem et effeminationem significant; nates detritae facultatem indefesse ambulandi significant*	Ar. § 49 p. 56, 11 ὅσοι δὲ σαρκώδη πίονα ἔχουσι (πῦγα), μαλακοί. ὅσοι δὲ ἔχουσιν ὀλίγην σάρκα, οἷον ἀπωμοργμένην, κακοήθεις
p. 37, 15 *carnosa coxa quae nervos et musculorum nodos suos sine corporis tumore tegit, fortitudinem significat vel crebrum coitum*	Ar. § 53 p. 58, 9 ὅσοι δὲ ἐκ τῶν πλευρῶν περίογκοί εἰσιν, οἷον πεφυσημένοι, λάλοι καὶ μωρολόγοι
p. 38, 14 *qui in incessu suo ut mulieres tardus est,*	Ar. § 70 p. 80, 17 μακροβάμων [καὶ] βραδυβάμων

nimiam aestimationem sui, superbiam effeminationemque indicat	εἴη ἂν νωθρεπιθέτης τελεστικός. — βραχυβάμων βραδυβάμων νωθρεπιθέτης οὐ τελεστικός.

Iam sequantur loci qui nihil similitudinis habent vel omnino ab Ar. abhorrere videntur:

p. 20, 14 *rugositas cutis capitis curam negotiorum indicat*

p. 24, 16 *pupilla quae circulo, cuius color a pupilla differt, circumdata est, multum de eo quod ad loquentem nihil attinet loquelae indicat*

p. 30, 12 *parvitas oris acre ingenium significat*

p. 30, 21 *crassitudo dentium cum longitudine aviditatem, edacitatem crassumque ventrem significat*

p. 31, 2 *qui gravibus dentibus, crassis labris est, malorum morum et sine ingenio est*

p. 31, 13 *brevitas menti cum rotunditate audaciam et amorem mali significat*

p. 31, 16 *barba bipertita fortitudinem et proditionem significat*

p. 31, 21 *barba lata formae quadratae indivisa ingenium et usui hominibus esse significat*

p. 32, 9 *facies clipei instar concava cum parvis dentibus et parvo naso animi duritatem indicat*

p. 32, 14 *facies cuius propria forma distorta est, vilem naturam malosque mores significat*

p. 33, 4 *prominentia laryngis garrulitatem et malitiam significat, itemque in prominentia utriusque venae colli*

p. 33, 21 *si quis in summo umero cavum manifestae*

demissionis habet, hoc debilitatem animi, imbecillitatem, servitutem significat

p. 34, 23 *brevitas bracchii et lacerti malam comprehensionem et malitiam morum significat*

p. 35, 15 *macra manus cum venis prominentibus et brevitas digitorum furacitatem, malum animum, malos mores, depravatam naturam significat*

p. 35, 20 *longi inter se distantes digiti qui a radicibus suis in manu declinant, malos mores inopiamque ingenii significant*

p. 35, 23 *ungues gypsei (= albi) viles mores et salacitatem significant*

p. 35, paenult. *manus cuius propria forma mutilata est, iudicium depravatum et perturbationem significat.* p. 36 *manus quae a propria forma recedit, iudicium depravatum, debilitatem ingenii et animi malamque naturam significat*

p. 36, 15 *pectus angustae mensurae ignaviam et imbecillitatem animi significat*

p. 36 *venter qui cum dorso cohaeret cum tumore umbilici, imbecillitatem animi et inopiam comprehensionis significat*

p. 38, 4 *penis qui peni equi similis est, bonitatem naturae significat*

p. 38, 26 *vox summissa per nares exiens malos mores et dolum significat*

p. 39, 7 *cuius oculi lacrimant, si ridet, salax est et loquax.*

Summi vero pretii esset imprimisque plurimum emolumenti ad quaestionem de genuina libelli nostri forma diiudicandam sperari posset, si ad nos pervenisset qui in eum scriptus esse fertur commentarius Alexandri Aphrodisiensis. quem etsi non graece, tamen arabice exstare dicendum esset, si recte se haberet quod contendit Stephanus Evodius Assemanius (Bibl. Medic. Laur. et Palat. codicum manuscr. oriental. catal. Florentiae 1742 p. 98), in fine codicis oriental. LIX bibliothecae Palatinae Mediceae legi arabice 'Alexandri Aphrodisiensis Canones Physiognomicos seu Commentaria in Physiognomicon Aristotelis'. et quamquam talis commentarii alibi nec vola nec vestigium apparet, non plane a vero abhorrere quod Assemanius asseveravit iudicare poteras memor locorum Problematum, qui Alexandrum ad exemplar problematum Aristotelicorum res quae physiognomoniam spectant tractasse probant, ut I, 26 *διὰ τί οἱ βραχεῖς τῷ σώματι τῶν μακρῶν φρονιμώτεροι ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστόν εἰσιν;* I, 27 *διὰ τί οἱ ἧττον φρόνιμοι μετεωρίζονται περιπατοῦντες;* (= syllog. loc. physiogn. fr. 86 et 87). nihilominus error est, cuius culpa auctori danda est indicis arabici codici praefixi, quem Assemanius secutus est. quod ut pro certo proferre possem, factum est insigni benevolentia Fausti Lasinii, qui a Pio Raina, amico fidei probatissimae, rogatus codicem, qui hodie numerum LX prae se fert, examinavit atque quae invenit mecum communicavit. legitur igitur in hoc codice post vitas sanctorum et res ecclesiasticas a folio 203ᵛ usque ad fol. 207ʳ eadem qua reliqua manu scriptum (anno 1351) opusculum ita incipiens: *In nomine Patris,*

Filii, Spiritus Sancti, Dei unius. Tractatus de physiognomonia tractus ex eo quod dixit sapiens Alexandro de signis evidentibus quae sunt delineata in forma exteriore uniuscuiusque hominis. Dixit: o Alexander, cum sit physiognomonia una e scientiis subtilia et occulta noscentibus speculativis et ad cogitationem pertinentibus, quam necesse est te tractare et quacum e signis physiognomonicis iudicare propter multam tuam cum hominibus necessitudinem et multam eorum conversationem, ego tibi scribam in hoc capite nonnulla indicia physiognomonica. Scias albedinem cum multo livore et rubore indicium esse impudentiae, perfidiae, obscenitatis et paucae intellegentiae; quare cave ab omni homine livido rubicundo etc. sufficiunt haec ad demonstrandum agi de physiognomoniae quae caput extremum Secreti Secretorum efficit, recensione decurtata, quam Steinschneidero duce littera A insignitam de Arist. quae fer. secr. secr. § 1 et 2 p. 3, 1 sq. et 6, 6 sq. imprimendam esse curavi et infra (t. II p. 183 sq. et 192, 11 sq.) littera s insignitam repetam. quae quoniam se ab Aristotele ad Alexandrum scriptam esse fingit, simul origo erroris patefit.

Iam si hos qui a nostro opusculo pendent scriptores missos facimus, nulla eius memoria apud veteres est nisi apud Ioannem Stobaeum, qui in libri primi anthologii capite 47 (*περὶ φύσεως ἀνθρώπων*) § 6 (I p. 301, 23 ed. Wachsm.) paragraphum 1 prooemii *ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους φυσιογνωμονικῶν* laudavit forma etiam peiore quam quae in nostris codicibus exstat.

Quando opusculum nostrum in reliquorum operum Aristotelicorum quae hodie circumferuntur corpus

receptum sit, nescitur. codices superstites qui id inter reliqua opera Aristotelica exhibent, Marciani CC, CCXVI, CCXV, saeculi demum XV sunt. sed etiam reliquorum codicum nullus saeculo XIV anterior est, postquam quaternio tricesimus quartus codicis celeberrimi rhetorum graecorum saeculi XI Parisini gr. 1741 inter folia quae hodie sunt 199 et 200 periit. in hoc enim quaternione nostrum opusculum exaratum fuisse testatur index manu saeculi XIV codici subiunctus (*τοῦ αὐτοῦ φυσιογνωμονικά*:).[1])

Codices autem superstites sunt hi tredecim:

1. Marcianus CCXV (A) codex scriptus in membranis formae quae quarta dicitur saeculo XV, olim Bessarionis, ut verba in primo folio averso scripta: *κτῆμα βησσαρίωνος καρδηνάλεως τοῦ τῶν σαβίνων* testantur. libellum nostrum qui foliis inde a 185 usque ad 193 continetur contuli ego Venetiis a. 1868 et 1869, denuo ut inspiceret, facillime impetravi ab amicitia Caroli Graux anno 1881 in Italiam profecti, paulo post antiquitatis studiis suisque erepti.

2. Marcianus CC (B), Aristotelia praeter logica continens, in membranis formae folii maximi anno 1457 Romae iussu et impensis Bessarionis scriptus manu nitidissima scripturae antiquae imitatrice Ioannis Rhosi presbyteri Cretensis, id quod palam fit cum inscriptione primi folii aversi: *Ἀριστοτέλους πάντα τὰ νῦν εὑρισκόμενα συγγράμματα πλὴν*

1) Cf. Henr. Schenkelium, Wiener Studien IV p. 60, Leopoldum Cohnium, Philol. XLIX p. 398, Henricum Omontium, Notice sur le Manuscrit grec 1741 de la Bibliothèque Nationale, Lugd. 1891 p. XIII.

τῆς λογικῆς· βιβλίον ἄριστον· κτῆμα βησσαρίωνος. τὸ γένος ἕλληνος. τὴν ἀξίαν καρδηνάλεως τοῦ τῶν τούσκλων tum subscriptione totius codicis: *ἐτελειώθη ἡ παροῦσα βίβλος ἐν ἔτει ἀπὸ χριστοῦ ͵α ῶ υ ῶ ν̄ ζ ῶ ἰνδικτιῶνος ε̄ ης μηνὸς ἰουλίου ιέ η· διὰ χειρὸς ἐμοῦ ἰωάννου ἱερέως ῥόσου, τοῦ ἐκ κρήτης. δι' ὁρισμοῦ καὶ ἐξόδου* (supra *ου* manu posteriore *ων* scriptum est) *τοῦ αἰδεσιμωτάτου ἐν χριστῷ πατρὸς κυρίου κυρίου*[1]) *βησσαρίωνος καρδηνάλεως ἐπισκόπου τῶν τούσκλων καὶ αὐθέντου ἡμετέρου: ·:· ἐν ῥώμῃ ·:·.* physiognomonica quae inscripta ʼΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΦΥCΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΑ foliis inde a 289 usque ad 293 continentur manuque librarii correcta sunt contuli Venetiis annis quos modo dixi. de singulis lectionibus et huius et reliquorum Marcianorum codicum postea mihi ortae dubitationes quod remotae sunt, egregiae id quae nunquam mihi defuit voluntati Ioannis Veludo et Caroli Castellani, praefectorum bibliothecae Marcianae praestantissimorum, acceptum refero.

3. Marcianus CCXVI (C), codex chartaceus formae octavae, opera Aristotelis continens, anno 1445 impensis Bessarionis exaratus est teste inscriptione quae in fronte eius legitur hac: *Βησσαρίων Ἕλλην τῷ γένει τῇ ἀξίᾳ τῆς Ῥωμαίων ἁγίας Ἐκκλησίας Καρδηνάλις. Ἴστω ὁ ἀναγιγνώσκων τὸ παρὸν βιβλίον γεγράφθαι μὲν ἀπὸ πρωτοτύπου ἐσφαλμένου κἀντεῦθεν πλῆρες ἁμαρτιῶν εἶναι. Ἐμὲ μέντοι, οὗ ἀναλώμασι γέγραπται, σφόδρα ἐπιθυμοῦντ' αὐτὸ κτήσασθαι καὶ μὴ ἄλλως*

---

1) Alterum *κυρίου* omiserunt Zanettius (Graec. D. Marc. bibl. codd.) et Susemihlius (Arist. Polit. rec. praef. p. XXV).

δυνάμενον ἑλέσθαι μᾶλλον αὐτὸ ὁπωσοῦν σχεῖν καὶ μετὰ τοσούτων σφαλμάτων ἢ μηδόλως τοῦ ποθουμένου τυχεῖν. Ἰανουάρ. κβ'. ἔτει ἀπὸ Χριστοῦ ͵αυμε^ῳ. libellus noster inscriptus *ἀριστοτέλους φυσιογνωμονικά* foliis inde a 5 usque ad 22 continetur; manus secunda correctrix raro dispicitur. etiam hunc et qui proximus est ordine codicem ipse contuli.

4. Marcianus CCLXIII (D), membranaceus formae quae dicitur octava maior, saeculo XV manu nitida antiquioris scripturae imitatrice exaratus et ipse olim Bessarionis fuit, qui in folio tertio averso haec scripsit: *τοῦτο τὸ βιβλίον ἐστὶν ἐμοῦ βησσαρίωνος καρδηνάλεως τοῦ τῶν τούσκλων· ἔστι δὲ βιβλίον ἄριστον πολλὰ καὶ καλὰ καὶ δυσεύρετα περιέχον. καλλίστοις ὡς ὁρᾶται γράμμασι γεγραμμένον:.* est codex miscellus; physiognomonica continentur foliis inde a 130 usque ad 139 aversum, desinunt tamen verbis *ἐν τοῖς ὄμμασι πρῶτοι τρέπονται* (§ 70 p. 84, 1). textus brevi, ut videtur, post quam exaratus est, manum secundam correctricem expertus est.

5. Marcianus append. class. IV codex LVIII, antea numeris LXXXIX. 6 insignitus (K), olim Iacobi Morellii, qui eum cum reliquis suis codicibus anno 1819 testamento bibliothecae Marcianae legavit, bombycinus formae octavae maioris, sub initium fere saeculi XIV bene scriptus. physiognomonica inscripta *ἀριστοτέλους φυσιογνωμονικά* foliis inde a 13 averso usque ad 23 continentur. correxit, etsi raro, manus altera ab aetate librarii ipsius non multum remota, atramento paulo pallidiore usa. collationem eius

maxima cum diligentia factam a Godofredo Kinkelio habeo 'mnemosynum sodalis' comis Veneti, qui nuper nobis praematura morte ereptus est.

6. Laurentianus LVII, 33 (E), codex miscellaneus chartaceus formae quartae, saeculo XV exeunte vel XVI ineunte satis neglegenter scriptus. physiognomonica inscripta *ἀριστοτέλους φυσιογνωμικά* foliis inde a 76 usque ad 88 aversum continentur. caput primum contuli ego a. 1868, totum libellum Bartholom. Zandonella Veronensis a. 1871, singulos locos denuo examinaverunt Nicolaus Anziani, olim praefectus bibliothecae Laurentianae gratiosissimus, et Carolus Graux.

7. Ambrosianus C 4. Sup. (F), membranaceus formae octavae, saeculo XV e codice satis antiquo, cuius compendia saepe male intellecta sunt, exaratus, miscellus. physiognomonica quae inscripta *ἀριστοτέλους φυσιογνωμονικόν* inde a folio 199^{v} usque ad 217 leguntur contuli a. 1870, denuo singulis locis inspexit, qui ad studia mea iuvanda semper paratissimus mihique multis nominibus carissimus est, Antonius Ceriani, praefectus bibliothecae Ambrosianae.

8. Parisinus graecus 1893 (P), olim numeris 379, 2606, CCCXLVIII insignitus, in chartis folii formam habentibus saeculo XV exaratus, duabus partibus continetur, quae diversis manibus scriptae olim per se constabant. harum secunda a physiognomonicis quae inscripta *ἀριστοτέλους φυσιογνωμικά* inde a folio 135 usque ad 145^{v} leguntur, incipit. documento est numerus graecus qui quaternionem indicat $\overline{\alpha}^{ov}$ in margine inferiore folii 135 scriptus. physiognomonica

excipit fragmentum quod fertur Aristotelis *περὶ σημείων ὑδάτων καὶ πνευμάτων.* codicem olim in bibliotheca Nicolai Ridulphi cardinalis fuisse probabile fit comparanti *πίνακα* in folio 198ᵛ positum (*ἀριστοτέλους φυσιογνωμονικὰ / τοῦ αὐτοῦ περὶ σημείων ὑδάτων καὶ πνευμάτων κτλ. No. 100*) cum catalogo illius bibliothecae latine reddito a Montfaucon (bibl. bibl. manuscr. t. II p. 768): *I* (i. e. *Philosophi graeci*) *num 100: Aristotelis opera multa cum expositionibus Alexandri Aphrod. etc.*[1]) pars prior, quae Syriani in secundum Metaphysicorum librum et in alia Aristotelis opera commentarios continet, codex esse videtur, qui in illo catalogo est: *I num 88: Syriani in Metaphysicam et in alia Aristotelis opera.*[2]) raro occurrit in physiognomonicis manus altera correctrix. contuli ego a. 1880, de nonnullis locis quaerenti liberalissime, ut solet, rescripsit Alfredus Jacob.

9. Havniensis universitatis codex 60 (H), chartaceus formae octavae, saeculo XV nitide scriptus, olim, ut e litteris involucro impressis A / LEX· PA / C· conicio, Alexandri Paccii Florentini, poeticae Aristoteliae interpretis[3]), deinde Eliae Putschii, a cuius heredibus dono eum accepit Ioannes Albertus Fabricius, cuius libri manuscripti a. 1770 bibliothecam universi-

1) Cf. etiam catalogum graecum e codice Vallicelliano editum ab Omontio Bibl. de l'Ecole des chartes 1888 p. 319: n. 89 *Ἀλεξάνδρου ἰατρικῶν ἀπορημάτων καὶ φυσικῶν προβλημάτων.*

2) Est in catalogo Vallicelliano n. 33.

3) Cf. Aristot. opp. ed. Buhle 1 p. 258.

tatis Havniensis intraverunt.[1]) est codex miscellaneus; opusculum nostrum quod inscriptionem habet rubricatam ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΦΥΣΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΗ et foliis inde a 33 usque ad 50^{v} continetur duplicem expertum est correctionem, priorem eamque rariorem (= man. 2) quae fusco atramento usa est, alteram eamque creberrimam a manu saeculi XVI vel XVII profectam (= man. 3), quae non satis habuit voces a librario compendiose scriptas plenas in margine exarasse, sed etiam passim lectiones varias posuit. quas quoniam ex Aldina sumpsit, ab apparatu critico exulare iussi. contuli codicem Rostochii a. 1880.

10. Harleianus 5635 (L), chartaceus formae octavae saeculo XV non ita diligenter exaratus. physiognomonica inscripta *φυσιογνωμονικὰ Ἀριστοτέλους* epistolographos excipiunt in folio 138, desinunt tamen iisdem, quibus Marcianus D, vocibus in folio 150^{v}. manus secunda correctoris perquam raro cernitur. contuli ego Londinii a. 1880; singulos locos iterum inspexit E. M. Thompsonus, cuius egregiae erga me benevolentiae semper animo meo infixa manebit recordatio.

11. Oxoniensis, qui est in bibliotheca Bodleiana Auct. F. 4. 6 (2367), in Coxii catalogo inter Miscellaneos 105 (O), chartaceus formae quartae minoris sub initium saeculi XVI pulchre, sed ab homine litte-

---

1) Cf. Bibliothecam I. A. Fabricii Hamburgi 1741 editam tom. IV p. 200 n. 166, Thorlacium de opusculo Aristotelico, Havniae 1817 (proluss. et opusc. acad. vol. IV p. 1 sq.), Graux, notices sommaires des manuscrits grecs de la grande bibliothèque royale de Copenhague p. 102.

rarum graecarum imperito scriptus, Coxio teste quondam Thomae Baron Londinensis, postea Richardi Hare, qui Bodleianae dono dedit, ut ostendunt verba in folio praefixo conspicua: *Ex dono Richardi Hare. / Arts / P. 6. 14.* nostrum opusculum, quod titulo privum in foliis inde a 142 usque ad 157 exstat, post Iulium Eggelingium, olim contubernalem Vratislaviensem, nunc professorem Edinburgensem, ego a. 1880 contuli.

12. Vossianus graecus Q. 51 bibliothecae universitatis Leidensis (V), in chartis formae quartae saeculo XV satis diligenter exaratus, olim Petavii, deinde Isaaci Vossii[1]), ut indicant verba in folio praefixo: *Alexander Pauli filius Petavius senator parisiensis anno 1647*, et in folio primo posita: *ex Bibliotheca Viri Illustr. Isaaci Vossii: 119.* cum Harleiano in eo consentit, quod opusculum nostrum, quod foliis inde a 39 usque ad 53^v continetur et inscriptum est *φυσιογνωμονικὰ Ἀριστοτέλους*, et epistolographos excipit et iisdem verbis desinit. manus correctoris rara est. contuli Vratislaviae a. 1871; de nonnullis locis liberalissime Ludovicus Petit, conservator bibliothecae Leidensis, me certiorem fecit.

13. Vindobonensis, bibliothecae Caesareae inter codices philosophicos et philologicos olim 260, deinde 56, nunc 231[2]) (G), chartaceus formae quartae, mendosissime ab homine graecarum litterarum parum

1) Cf. Opera Colomesii a Fabricio edita p. 856 n. 121.
2) Cf. P. Lambecii comment. de bibl. Caesar. lib. VII col. 215 ed. alter.

gnaro Neapoli a. 1458 scriptus, ut ostendit subscriptio ex parte cryptographica in folio 194 averso et 195 conspicua haec: *ἐ. τ. τ. β. β. δ. χ. ἐ. μ. μ. ἰ / ε. ϱ. μ. κ. π. ν. ι. κ. κ. κ. π / κ. φ. σ. κ. μ. λος : κ : τ. β. / β. α. ν. σ. φ. μ. ἕ. ν. ἀπ / τ. ν. κ. ✝ ,αυ.νη. ἐτελιόϑη ὥϱας ζ̄ τῆς νηκτος ἡμέϱα παϱασκευὴ / εἰς. κ̄. τοῦ ἰανουαϱίου ἐν τὴν ἀ / νάπολη. εὔχεσϑ. ὑ / π. ἐ. μ. τ. α. μ. τ. / λ. κ. τ. π. ν.*[1]) *1458 ad / 20. zenē die vene re / ora. 7. fo copiuto questo libro:.* deinde Ioannis Ioviani Pontani factus est. incipit a nostro opusculo, quod titulo privum folio 23 verbis *κεφαλῆς δειλοί· ἀναφέϱεται* (§ 69 p. 80, 6) cum subscriptione *τὰ φυσιογνωμικὰ ἀϱιστοτέλους* desinit, cum folium 24 ordiatur a verbis *λαμπίας τὸ δὲ. ὄνομα ἀπὸ τοῦ πιεϱικοῦ ὀλύμπου*, quae sunt ultima fragmenti *πεϱὶ σημείων* (Arist. fragm. 238 p. 1522, 6 ed. acad.). correctoris vestigia haud frequentia sunt. contuli prima quattuor folia ipse a. 1870, reliqua comiter Hartelio intercedente Antonius Kunz.

Praeter hos, quod sciam, libri manuscripti opusculum nostrum non continent. nam codex Parisinus gr. 2048 chartaceus formae octavae saeculi XV, qui olim fuit Nicolai Leoniceni, deinde cardinalis Nicolai Ridolphi, dicitur quidem in indice graeco in fronte codicis posito (*ἀλεξάνδϱου ἀφϱοδισ. ἰατϱικῶν ἀποϱημάτων καὶ φυσικῶν πϱοβλημάτων βιβ. δύο / ἀϱιστοτέλους φυσιογνωμονικά: καὶ πλέον οὔ.*) aeque atque in catalogo codicum Ridolphi Vallicelliano n. 8 (ed.

---

1) Ultima verba significare *εὔχεσϑε ὑπὲϱ ἐμοῦ τοῦ ἁμαϱτωλοῦ καὶ ταπεινοῦ* conicio cum Antonio Kunz, cuius liberalitati atque diligentiae apographum debeo, prima *ἐτελειώϑη τοῦτο βιβλίον διὰ χειϱὸς ἐμοῦ κτλ.*

Omont. l. l. p. 313 *Ἀλεξάνδρου Ἀφροδίσεως ἰατρικῶν ἀπορημάτων καὶ φυσικῶν προβλημάτων. Aristotelis φυσιογνωμονικά.*) atque hinc etiam in catalogis librorum manuscriptorum bibliothecae Parisinae Mellotiano et Omontiano physiognomonica continere, sed iniuria; nam postquam in primis 71 foliis Alexandri Aphrodisiensis problemata et in duobus quae sequuntur (f. 71[v] et 72) fragmentum inscriptum *ἀνέμων θέσεις καὶ προσηγορίαι ἐκ τῶν ἀριστοτέλους περὶ σημείων* (Aristot. fr. 238) exaratum est, folium 73 sane a titulo *ἀριστοτέλους φυσιογνωμονικὰ*: incipit, sed non opusculum ipsum, verum *σημεῖα ὑδάτων καὶ πνευμάτων* (Theophrasti fr. VI tom. III p. 115 usque ad 130 ed. Wimm. Lips. 1862) sequuntur.

Neque unquam fuit, quem Franzius in scriptorum physiognomonicorum editione passim (cf. p. 29. 32. 98. 110. 120. 146. 153. 157) citavit, 'codex Du Vallii'. nam quas ille codici tribuit lectiones, sunt editionum Camotii et Sylburgii, quas Casaubonus, ut a suis diversas, in margine editionis Lugdunensis (a. 1590) ponendas curavit, Du Vallius vero ex hac in marginem editionis ab ipso Parisiis a. 1639 foras datae recepit.

Neque codicis instar habenda sunt excerpta quaedam, quae in foliis 158[v] et 159 codicis Burneiani 67 miscellanei chartacei saeculi XVII leguntur nitidissime quidem, sed mendosissime scripta a tirone, qui totiens turpissime peccavit totque verba omisit, ut nonnunquam paene existimes eum ne exemplar quidem ipsum ante oculos habuisse, sed tantum vocabula dictata auribus percepisse. exemplar autem fuisse editionem

Casauboni probare videntur litterae duobus excerptis praepositae: *κ. α* et *κ. δ*, quas significare conicio *κεφάλαιον α'* et *κεφάλαιον δ'*. hanc enim graecam capitum significandorum formam induxit Casaubonus. certe exemplar usurpatum fuit editio saeculi XVI, nam in capita divisum opusculum non in codicibus, sed primum in editione Basileensi tertia Isingriniana anni 1550 comparet. nullum autem huius tirocinii quod rectius calligraphicum quam orthographicum nomines, pretium esse ut intellegatur, paucissima sufficiunt. titulus et initium in hunc modum leguntur: *φυσιογνωμικων· σύνσύις. κ. α / Ὅτι διάνοιαι ἕπονται σώμασιν καὶ οὐκ εἴσιν ἀπαθεῖς τῶν σώματος κινήσεων δῆλον ἐν μέθαις καὶ ἀρρωστίαις καὶ τοῖς ψυχῆς παθήμασι σῶμα συμπάσχει δήλου περὶ φόβους ἔρωτας λυπὰς ἡδονὰς οὐδὲν ζώου ἶχων γεγένητα εἶδος ἑτέρου διάνοιαν δ' ἄλλου αλλα ἀεὶ τοῦ αὐτοῦ τοδε σῶμα καὶ ψυχὴν τοιωδε σώματι ἕπεσθαι τοιάνδε διάθεσιν ἀνάγκη*, finis (§ 39 p. 46, 15) in hunc modum: *κακουργοτερα θήλεα ἀῤῥένων προπετέστερα ανελευθερα αναλκεστερα. μικροψατα στενοπροσωπα λεπτοτράχηλα στήθη ἀθενέστερα επτευροτερα περισαρκοτερα ισχια κνήμας γουνκροτα κνημαι λεπται ποδες κομψοι. σώματος μορφην ἡδίω ἀνευροτερα μαλακα δειλα αδικα.*

Ac ne Ottoboniano quidem graeco 147, quem primum e Brandisii de codicibus Aristotelis Vaticanis dissertatione (Comment. Acad. Berol. 1831 p. 82) cognovi, codicis auctoritas tribuenda est, quoniam nihil nisi lectiones aliquot ab Aldina editione (tom. III fol. 394ᵛ usque ad 404) diversas continet, quae partim ex uno vel altero codice excerptae, partim coniecturae

auctoris sunt. de hoc codice chartaceo formae quartae saeculi XVI quod ita iudicare possum, Augusto Mau debeo, qui quae in folio 60ᵛ et 61 ad physiognomonica pertinent liberalissime meum in usum exscripsit. pauca sunt, verum ne haec quidem omnia, sed tantum principium et finem, utpote e quibus indoles harum notarum satis appareat, repetere huius loci visum est.

Incipiunt in hoc modum:

φυσιογνωμονικά. /
F°. 394 pag. b ver. p⁰ ὅτι αἵ διάνοιαι legas .v. καθ' ἑαυτάς
" 395 " 9 post γνωμονοῦντες ∧ ἁμαρτάνουσι·
24 ubi λέγοιτο .v.c λέοντι
pag. b " 11 post καὶ αλλότι ∧ οὕτως δὲ
397 pag. b " 11 ubi ὠμοπλάτας .v.c ὁμοιότητες
16 " κὸσμ. .v.c. κοσμίου σημεῖα
17 " ἄσμενες v c ἀσθενὲς
18 " συμμεμυκὸς v.c. συμβεβηκὸς

et desinunt:

F°. 402 pag. b v. 4 non legit μήποτε θέλη ἄνοις
28 ubi βραχέως .v.c βραχυδέως
f°. 403 ver. 3 ubi τοιαῦτα v.c. αὐταὶ
4 lege γαλεαγῶνες
5 lege ἐπενσαλεύοντες.

Litteris *v.c.* ego unum vel alterum Venetorum codicum significari atque ex his eum potissimum quem supra B littera insignivi, quamvis parum diligenter, consultum esse crediderim. Bessarionis enim codices iam anno 1468 Venetias migrasse notum est, et lectiones e codice allatae pleraeque cum B congruunt,

pars autem earum in hoc solo reperitur. nam et quas Ottobonianus e codice affert lectiones

Fol. 398 ver 15 post φιλόκυβοι ∧ πανοῦργοι
Fol. 400 p. b. v. 20 συνεσ. τε τὴν τροφὴν,

in B solo exstant, et quae in codice omissa esse testatur,

fo. 401 ver 18 non legit ἀλεκτρυονας. οἱ δὲ σιμὴν ἔχοντες λάγνοι ·ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς
pag. b. v. 26 non legit ἐπὶ τοὺς ὄνους· οἱ τὰς κεφαλὰς φοξοὶ, ἀναιδεῖς ἀναφέρεται,

in hoc solo desunt.

Itaque valeant 'codices' Burneianus et Ottobonianus.

Sed etiam inter tredecim illos qui codicum nomen merentur plures sunt quos ablegandos esse iudicem ab apparatu critico idoneo, quem eum dico, in quo nihil nisi necessaria locum habeant, quoniam e superstitibus codicibus vel editionibus fluxerunt.

Atque hoc quidem cadit primum in codicem Oxoniensem (O), nam ex editione Aldina Venetiis 1497 foras data descriptus est, deinde in codicem Vossianum (V), nam fluxit ex Harleiano (L), tertium in codicem Marcianum 200 (B), nam partim e Marciano 216 (C), partim ex Harleiano (L) contaminatus est, quartum et quintum in codices Marcianum 215 (A) et Laurentianum (E), qui per medium fontem communem e Marciano C manaverunt, sextum in codicem Vindobonensem (G), qui et ipse ex hoc codice C exaratus est: quae omnia commentatione de Aristotelis quae feruntur physiognomonicis recensendis, Kiliae 1882 edita p. 9 sq. exposui. sed etiam hic codex C ab

apparatu critico removendus est, utpote qui e Marciano K fluxerit. quod ut commentatione quam modo laudavi p. 17 sq. evincere studui, ita quo diutius mecum reputavi, eo certius mihi visum est. exempla vitiorum codicis C quae e singulari litterarum condicione K codicis propria originem duxisse illo loco contendi uno augere possum. § 5 p. 14, 10 K praebet *μή*, C perperam *μὲν*, nempe quia *η* in K minus clare atque dilucide exaratum est. alterum autem opinionis meae argumentum hoc esse puto, quod paucae quaedam notae quas K in margine praebet etiam in C exstant. quae sunt: *ἀνασκευὴ τοῦ Δ* (*τετάρτου* C) ad § 3 p. 8, 12 (*οἱ μὲν οὖν κατὰ τὰ ἤθη μόνον φυσιογνωμονοῦντες ἁμαρτάνουσι*); ⟨*ἀν*⟩*ασκευὴ* ⟨*τοῦ*⟩$^{\alpha}$ ($\bar{\alpha}'^{\tau o \upsilon}$ C) ad § 4 p. 10, 4 (*οἱ δὲ ἐκ τῶν θηρίων φυσιογνωμονοῦντες οὐκ ὀρθῶς τὴν ἐκλογὴν τῶν σημείων ποιοῦνται*); *ὁ μαῦρος δειλός*, ⟨*σ*⟩*κύθης* (*σκήθης* C) *ἀνδρεῖος* ad § 9 p. 20, 1 (*οἱ μὲν γὰρ ὑπὸ ταῖς ἄρκτοις οἰκοῦντες ἀνδρεῖοί τέ εἰσι καὶ σκληρότριχες, οἱ δὲ πρὸς μεσημβρίαν δειλοί τε καὶ μαλακὸν τρίχωμα φέρουσιν*); *δυσχερῆ, καὶ δυσανία ἡ δυσχέρεια* (*δυσχέρια* C) ad § 11 p. 22, 15 *τὸν δυσάνιον.* ac quoniam hae notae in K non ab ipso librario, sed manu secunda appositae sunt, elucet C codicem e K exaratum esse, postquam hic manum correctricem expertus sit. quocum conveniunt lectiones a me l. l. prolatae, in quibus C cum K m^2 conspirat, quibus nunc unam addere utile esse duco. § 13 p. 26, 15 K praebet *ἐπτυγμένον*, quod m^2 in *ἀντεπτυγμένον* mutavit, unde C lectionem iustam *ἀνεπτυγμένον* effecit. duobus autem locis quos l. l. protuli ut correctio a manu secunda in K profecta

a librario C codicis neglegeretur, facillime accidere potuit neque haec res contra eam opinionem, quam olim minus probabilem, nunc unice veram esse duco, quicquam valet.

Horum igitur septem codicum lectiones in apparatum criticum non recepi nisi quae emendationum instar sunt, ut quod modo laudavi *ἀνεπτυγμένον*.

Sex autem qui restant codices in duas classes distinguuntur, quarum altera codicibus KP, altera codicibus FHDL continetur.[1])

K autem et P ex uno codice fluxerunt quem vel partem effecisse hodie deperditam codicis Parisini gr. 1741, de quo supra (p. XXXV) verba feci, vel arto cognationis vinculo cum hoc coniunctum fuisse inde probabile fit, quod in utroque eorum aeque atque in illo Theophrasti *περὶ ἀνέμων* et *σημείων* liber nostro opusculo succedit. index enim codicis Parisini post *τοῦ αὐτοῦ φυσιογνωμονικὰ* praebet: *τοῦ αὐτοῦ σημεῖα περὶ εὐδείας, καὶ χειμώνων, καὶ ἀνέμων.*[2])

Is autem codex qui K et P codicibus fons fuit iam manum correctoris expertus est, ut in commentatione de translatione latina physiognomonicorum quae feruntur Aristotelis, Kiliae 1884 edita p. 26 sq. ostendi. ut hoc loco duobus exemplis defungar, librarius illius codicis in verbis § 12 p. 24, 3 *περὶ φωνῆς κατὰ μὲν τὸ πάθος ἐπισκοπῶν ὀξεῖαν οἰηθείη ἄν τις δεῖν τιθέναι τοῦ θυμοειδοῦς* post vocem *δεῖν*,

1) Cf. de Arist. quae feruntur physiognomonicis recensendis p. 12 sq.
2) Cf. H. Schenkelium, Wiener Studien IV p. 60 et Omontium, Notice sur le Manuscrit grec 1741 p. XII.

in qua δ litteram cum ε, ut saepe, ita colligatam fuisse verisimile est, ut speciem vocis δυεῖν praeberet, ἕνεκεν praepositionem, unde δυεῖν penderet, inseruit perperam, quoniam non de duobus argumentis agitur, et § 39 p. 46, 5 sq. verba sensu priva ἔστι δὲ ὅμοια. ἐπιχειρῶμεν τρέφειν τῶν θηρίων parum feliciter corrigere studuit in ἔστι δὲ ὅμοια. ἐπιχειρῶν μὲν οὖν τρέφειν κτλ.

Etiam altera classis in duas familias dividitur, quarum priorem LD, alteram FH codices efficiunt.

Prior earum etiam magis quam KP operam magistelli Byzantini passa est, cuius exempla cum satis multa a me de Arist. phys. recens. p. 20 prolata sint, pluribus nunc augere supervacaneum esse puto.

Hac autem re par est condicio codicum L et F, quod lectiones exemplaris maiore cum fide et diligentia reddunt quam D et H.

Consensum codicum KP littera b, codicum DL littera d, codicum FH littera c, codicum horum sex omnium littera o significavi.

Magnus est numerus lacunarum, emblematum, mendorum quae iam archetypi utriusque classis codicum propria dicenda sint, quorum elenchum de Ar. phys. rec. p. 23 dedi. quin pars saltem eorum iam in litteris maiusculis acciderit, non dubitabis, ubi quanta sit similitudo respexeris inter TWN (o) et TIC HI § 4 p. 10, 12; H (o) et A § 72 p. 86, 10.

Quo maior autem numerus est vitiorum iam archetypo codicum superstitum aspersorum, eo gratior medicinam priusquam ad coniciendum refugiamus aliunde anquirentibus esse debet vetus translatio latina, quam iussu Manfredi regis Siciliae intra annos 1258 et 1266 a Bartholomaeo Messanio factam esse testatur titulus ei in codice bibliothecae Antonianae Patavino 370 datus: *Incipit liber physiognomonie aristotelis translatus de graeco in latinum a Magistro Bartholomaeo de messana in curia illustrissimi manfredi Serenissimi regis Sicilie scientiae amatoris de mandato suo* et distichon in fine problematum item a Bartholomaeo conversorum positum:

Rex Manfrede, mei scriptum lege Bartholomei,
Portus et ala Dei sis mihi causa spei.

ac revera non ex arabico, sed e graeco textu eam fluxisse palam fit graecis quibusdam vocabulis vel simpliciter retentis vel cum interpretamento positis, ut *charopi* et *metaphrenon* constanter; *mania* p. 41, 14 et 16 et 18; *maniaci* 75, 12 et 14, et 77, 18; *sillogismus* 45, 14; *basis* 51, 11; *galiancones* 83, 2; *yron* 37, 4; *cotile* 31, 4; *ortiges* 55, 10; *homoplatae* 27, 8; *chauni vel remissi* 61, 17; *rathimi sunt id est facilem animum habent ad concupiscendum* 67, 1; *rathimi sunt id est facile concupiscibiles* 67, 19 sq. neque nisi graeco exemplo posito explicatur, quod p. 39, 1 ἐρωτικοὶ perperam vertit: *interrogativi.*

Pretium autem huius versionis hac re augetur, quod Bartholomaeus id egit, ut verbum verbo redderet et sensum loci non assequi quam mutatione verborum extricare mallet. haud parvus igitur est nu-

merus locorum in eius versione quovis sensu privorum. quin etiam nonnullas voces vel enuntiationes quas a se reddi posse desperavit silentio praeteriit.[1])


Etsi autem codex quo Bartholomaeus usus est magnae partis vitiorum in archetypo codicum graecorum conspicuorum non immunis fuit, tamen numero locorum haud contemnendo genuinam lectionem servavit, ut § 4 p. 10, 16 *διασαφήσειε* pro *διασαφηθείη* — *manifestabunt* 11, 16; ib. p. 12, 7 *ἁπάντων* pro *ἀνθρώπων* — *omnibus* 13, 8; § 16 p. 30, 12 *ἀναλάμβανε* pro *ἀναλαμβάνει* — *accipe* 31, 11; § 50 p. 56, 14 *εὔζωνοι* pro *ζωνοὶ* — *bene lumbosi* 57, 14; § 51 p. 56, 17 *εὔρωστοι* pro *εὐπάρωστοι* — *bene fortes* 59, 1; § 54 p. 58, 16 *δέχονται* pro *χέονται* — *appetunt* 59, 18; § 56 p. 60, 8 *ἀρθρῶδες* pro *ἀρθρώδεις* — *articulatum* 61, 9; § 64 p. 70, 14 *τὸ μέτωπον* pro *τῷ μετώπῳ* — *frontem* 71, 15; § 73 p. 90, 16 *παρέχονται* pro *παρέχοντες* — *praebent* 91, 16 atque, si recte conicio, § 42 p. 52, 5 *ἐπιπολαιοτέρους* pro *περιπολαιοτέρους* — *superficiales* 53, 4; denique verbis *οὔσης γὰρ τῆς τε φορᾶς ἐν μεγάλῳ τόπῳ καὶ βραδείας διὰ τὴν ψυχρότητα, οὐ συνανύει τί ἀφικνουμένη ἐπὶ τὸ φρονοῦν· ὅσοι δὲ ἐπὶ τῶν μεγάλων ξηραῖς σαρξὶ κεχρημένοι εἰσὶ καὶ χρώμασι, διὰ θερμότητα γίνονται ἐπιτελεστικοὶ καὶ αἰσθητικοὶ* in o post *αἰσθητικοὶ* § 72 p. 88, 4 male repetitis caruit.

Quae cum ita sint cum codex Bartholomaei (= T) non pro filio, sed pro fratre minore vel filio fratris archetypi graecorum codicum superstitum (= X) ha-

---

1) Cf. de translat. lat. Ar. phys. p. 23 sq.

bendus sit, imaginem viae qua opusculum ad nostram aetatem pervenit hoc tibi stemma reddet:



Versio autem Bartholomaei hodie in satis multis codicibus exstat. e quibus ad meam cognitionem hi pervenerunt:

1. Patavinus bibliothecae Antonianae 370 fol. 5 saec. XV
2. Vaticani lat. 2074 fol. 181—191v saec. XV
3. lat. 2083 fol. 85v—89v
4. lat. 2084 fol. 111—120 saec. XV
5. lat. 2085 fol. 366—373
6. lat. 2091 fol. 290—295
7. Urbin. lat. 1319 fol. 80—99
8. Regin. lat. 1151 fol. 23—28
9. lat. 1311 fol. 172—175
10. Chisianus H VII 238 fol. 121—126

11. Laurentiani 84, 3 saec. XIII fol. 260^{v}—266
12. 84, 12 saec. XIV fol. 17—22
13. plut. 15 sin. cod. 9 saec. XIII fol. 23–25, desinit verbis: *ea quae videntur in corporibus dicuntur* (p. 43, 18)
14. cod. CLXVII med. Faesul. fol. 234 —239 saec. XIV
15. Ambros. G. 70 sup. fol. 13—16 saec. XIV
16. Marciani lat. class. VI, 33 olim Patavinus bibliothecae S. Ioannis in Viridario plut. XXIII saec. XIV
17. lat. class. X, 56 fol. 81—88 scriptus anno 1294
18. lat. class. X, 57 fol. 317—323 saec. XIII
19. lat. class. XII, 1 fol. 299—307 saec. XVI
20. lat. class. XII, 3 fol. 43—48 saec. XIV
21. Caesenas bibl. Malatest. plut. XXII cod. 1 scriptus anno 1446
22. Panormitanus bibl. Senat. cod. 2 Qq G 31 fol. 187 —195 saec. XIV
23. Monacenses lat. 637 fol. 1—11 saec. XV, desinit verbis: *curviora et carnosiora habent sunt memores* (p. 39, 15 sq.)
24. lat. 8003 fol. 43^{v}—48 saec. XIV
25. lat. 14147 fol. 135—139 saec. XIV cum scholiis largis quidem, sed parvi pretii in margine positis
26. Erfurtenses Amplon. Q. 15 fol. 3—8 saec. XIV
27. Q. 316 fol. 27—34 saec. XIV
28. Q. 316 fol. 69—76 saec. XIV

29. Erfurtensis Amplon. Fol. 16 fol. 51^{v}—60 saec. XIV [1])
30. Lipsienses Paulin. 1118 fol. 257—258^{v} saec. XIV
31. 1339 fol. 259—265 saec. XIV
32. 1368 fol. 153—158^{v} saec. XV
33. 1397 fol. 12—16 saec. XIV
34. Gothanus membr. I n. 124 fol. 309—316 saec. XIV
35. Erlangensis 342 scriptus anno 1479
36. Vindobonenses lat. 87 fol. 312^{v}—317^{v} saec. XIV
37. lat. 2291 fol. 161^{v}—165^{v} saec. XIV
38. lat. 2346 fol. 136—144^{v} saec. XIV
39. lat. 4753 fol. 157—163 saec. XIV
40. lat. 5247 fol. 117^{v}—124^{v} saec. XIV
41. Pragenses Univers. IV D 6 fol. 159^{v}—163 saec. XIII exeuntis
42. IV H 6 fol. 81—114 saec. XIV cum commentario
43. Cracovienses Univers. 503 (DD I 15) saec. XIV
44. 506 (CC VIII 9) scriptus anno 1304
45. 507 (CC VIII 18) saec. XIV
46. 2097 (BB XVIII 7) scriptus anno 1451
47. Basileenses F. I. 27 (Haenel catal. p. 516)
48. A. VIII. 15 (Haenel l. l. p. 525)
49. Parisini lat. 16083 fol. 90—94 saec. XIII exeuntis vel XIV ineuntis
50. lat. 16088 fol. 45^{v}—51 saec. XIII
51. lat. 16097 fol. 107^{v}—122 saec. XIV
52. lat. 17837 fol. 215^{v}—223 saec. XIII

1) Codex Amplon. Fol. 263 fol. 31—34 saec. XIV commentarium translationis continet.

53. Rotomagensis 920 fol. 269ᵛ—275 saec. XIV
54. Laudunensis 434 saec. XIV
55. Montepessulanus schol. Medic. 177 saec. XIV
56. Tolosanus 733 fol. 236—240 saec. XIII
57. Hispalensis bibl. Colombin. saec. XIV (Haenel l. l. p. 979)
58. Cantabrigiensis bibl. Univers. Ii II. 10 fol. 178—184 saec. XIV
59. Oxonienses Colleg. Balliol. CCXLV fol. 146—149ᵛ saec. XIV
60. Merton. CCLXXXI fol. 180ᵛ—184 saec. XIV
61. Leidensis Vossianus Chymicus Qu. 27 fol. 130—141 saec. XVI
62. Leidensis domini Dr. S. G. de Vries, conservatoris codicum bibliothecae Leidensis, fol. 11—14 saec. XIV.[1])

[Codex bibliothecae Universitatis Gandensis 137 (355 in catalogo a Saint-Genois anno 1849 sq. Gandae edito) membr. saec. XIV, qui olim fuit Raphaelis de Marcatellis teste subscriptione in folio 395: *Hoc volumen comparavit raphael de Marcatellis dei gratia episcopus Roseñ Abbas sancti Bavonis iuxta Gandavum Anno domini. 1479.*) fol. 366—394ᵛ non translationem ipsam,

1) Est is codex chartaceus in folio foliorum 14, quibus continentur liber veritatis ypocratis (fol. 1ʳ—1ᵛ), tractatus adverrois de generatione animalium (fol. 1ᵛ—3ʳ), anathomia galieni (fol. 3ʳ—5ʳ), physonomia rasys scripta Anno Domini 1000mo 300mo 14mo (fol. 5ᵛ—11ʳ), phisonomia aristotilis (fol. 11ʳ—14ʳ), quae omnia eodem ordine in codice Vindobonensi lat. 4753 saec. XIV fol. 141—163 exstant. emit eum anno 1890 S. G. de Vries in publica auctione Nederlandica et, qua est erga me benevolentia, utendum mihi transmisit. e scida involucro agglutinata codicem in catalogo bibliothecae, cuius olim fuit, numerum 14358 gessisse discitur.

sed commentarium in eam continet, qui ita incipit: *Iste liber continet duos tractatus Primus ostendit in generali Physonomiam esse possibilem, Et cum hoc diversos modos Physonomisandi. In 2° ostendit per quem modum et qualia signa debeamus physonomizare* et desinit verbis: *Nec homo precognoscens futura assimulatur deo quantum ad equalitatem quia deus omnia praesentia praeterita et futura cognoscit intuitive et in infinitum perfectius quam aliquis homo potest cognoscere et etiam infinitus planeta. Finis.* Cuius auctorem ut cum Saint-Genois l. l. p. 272 eundem illum Petrum Padubanensem esse putemus, cuius in Aristotelis Problemata commentarius ab anonymo professore Parisiensi recognitus parte priore (fol. 1—365) illius codicis continetur, causa satis gravis non est. nam folio 366 plane nova pars incipit neque ullus inter duos commentarios conexus apparet; verba autem quae in prooemio commentarii in Problemata leguntur (*doctor excellentissimus Petrus Padubanensis praefatum librum aristotelis — pulcerrimis expositionibus — elegantissime declaravit. — Librumque praenotatum secundum illius gloriosi doctoris sententias propono deo iubente scolaribus studii parisiensis verbotenus explanare*) non, ut Saint-Genois opinatus est, physiognomoniam respiciunt, sed verba praecedentia: *Tamen indubitanter ea que ipse aristoteles in suo libro de probleumatibus ad plurimas phȳe* (i. e. philosophiae) *partes pertinencia congregavit.*]

Ex hoc numero satis multos codices inspexi; contuli e parte codices Paris. 16088 et 17837, Laur. CLXVII med. Faes., Oxon. Mert. CCLXXXI, Monac. 8003, Leidenses Vossianum et Vriesianum, totum Go-

thanum, etsi mendosissimum esse cognovi; dignos iudicavi quorum integram scripturam adnotarem, cum versionem in commentatione de transl. lat. phys. Ar. Kiliae 1884 p. 4—18 ederem, Parisinos 16097 (= A) et 16083 (= B), Vindobonensem 87 (= F), Monacensem 14147 (= R). sed etiam his quattuor codicibus longe antecellit codex Patavinus (= P), cuius collatione aegre tum carebam, atque ita quidem, ut ab autographo Bartholomaei proxime afuerit. neque enim solum nomen interpretis, sed etiam passim lectiones genuinas unus servavit. ut nonnulla proferam, canonem graecum § 65 p. 72, 9 οἱ τὴν κεφαλὴν μεγάλην ἔχοντες αἰσθητικοί· ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς κύνας. οἱ δὲ μικρὰν ἀναίσθητοι· ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς ὄνους unus integrum ita reddidit p. 73, 10: *quicunque autem habent magnum caput, sensitivi, referuntur ad canes; qui vero parvum, insensibiles, referuntur ad asinos;* quattuor illi codices, quorum consensum iam littera *r* insigniam, verba *canes; qui vero parvum, insensibiles, referuntur ad* omiserunt. item verba in *r* omissa unus servavit p. 5, 4 *in* (= ἐν); p. 15, 5 *et* (= καὶ); p. 17, 12 *ex figuris* (= ἐκ τῶν σχημάτων); p. 25, 15 *assumendum esse* (= ὑποληπτέον εἶναι); p. 43, 9 *igitur* (= οὖν); p. 21, 9 *boni* ante *habitus* praebet, quod inserueram, cum graece ἐνεκτικὴ sit; p. 9, 6 *superapparentibus* (= τῶν ἐπιφαινομένων, *apparentibus r*); p. 11, 14 *quidem* (= μὲν, *vero r*); p. 13, 16 *aliud quid* (= ἄλλο τι, *alia quaedam r*); p. 15, 2 *in anima*, ut scripseram, cum graece ἐν τῇ διανοίᾳ, in *r* autem *manifestam* sit; p. 19, 17 et 18 *timidae* et *idem*, ut scripseram, cum graece δειλοί et ταὐτὸ, in *r* autem *timidam* et *quidem* sit; p. 31, 11

bonus videtur (= ἀγαθὸς φαινέσθω, *videtur bonus r*); p. 35, 4 *circumclinati* (= περινεύοντος, *circumclinatum r*); p. 47, 12 *alicubi*, ut scripseram, cum graece που, in *r alicui* sit; p. 47, 12 sq. *difficulter credentes* (= δυσπαραπειστότεροι, *difficulter prudentes r*); p. 53, 11 *furtivum*, quod effeceram e *futurum* AB et *fictivum* F vel *factivum* R, cum graece ἐπίκλοπον sit; p. 55, 8 *quibuscunque* (= ὅσοις, *quibus r*); p. 61, 20 *medium*, ut scripseram, cum graece τὸ μέσον, in A autem *modum*, in F *methafrenum*, in BR *methafrenon* sit; p. 69, 5 *simiam*, quod scripseram, cum graece πίθηκον, in *r* autem *asinam* sit; p. 87, 13 *finiat* (= περᾶναι, *fiat r*). sed sunt etiam nonnullae in P lectiones quae demonstrent exemplar, e quo quattuor illi codices fluxerunt, non solum ab oscitantia librarii, sed etiam a temeritate correctoris cladem accepisse. an alio pacto explicari potest differentia lectionum quae apparet p. 19, 3 *quaecunque superapparentia de hiis quae physiognomonantur* (= ὅσα ἐπιφανῆ περὶ τῶν φυσιογνωμονουμένων, *manifesta de phisionomizatis r*); p. 19, 5 *quaecunque non in praedictis declarata sunt* (= ὅσα μὴ ἐν τοῖς προειρημένοις δεδήλωται, *quaecunque non in praedictis manifestum est r*); p. 27, 8 *homoplatae amplae* (= ὠμοπλάται πλατεῖαι, *armi lati r*); p. 55, 8 sq. *referuntur ad aves habentes ungues curvos* (= ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς ὄρνεις τοὺς γαμψώνυχας, *referuntur ad aves curvorum unguium r*); p. 57, 3 *referuntur ad apparentem convenientiam*, ut constanter formula ἀναφέρεται ἐπὶ τὴν ἐπιπρέπειαν reddita est, *referuntur ad apparentem decentiam r*; p. 69, 5 *ad furectum* (= ἐπὶ αἴλουρον, *ad catum* R, *ad gatum* AB, *ad ga.* F)?

Singularis igitur est auctoritas codicis Patavini, etsi librarius per incuriam multa omisit (ut p. 29, 11—12 *et collum — musculos scapularum*; p. 31, 8—9 *collum grossum — sufficienter*; p. 53, 19—20 *Electio — accipitur*; p. 75, 18 *ea quae sunt circa pectus. quibus autem ea*; p. 77, 3—4 *iratis — quia* etc.) et nonnulla deformavit (ut p. 49, 2 pro *talia sunt qualia* praebet *qualia sunt quae*; p. 55, 9 *pedes digitorum* pro *pedum digiti*; p. 75, 7 *mollia* pro *mobilia*; p. 87, 11 *voliti* pro *veloci* etc.), summamque habeo gratiam Vincentio Crescini, professori Patavino, quod a Pio Raina, amico communi, rogatus codicem meum in usum contulit.[1]) nam ita versionem Bartholomaei multis locis emendatiorem praebere potui quam ante hos sex annos. ut autem quivis statim oculis perciperet, quid opis ex ea ad verba textus graeci emendanda redundaret, in conspectu atque e regione huius eam ponendam esse ita curavi, ut scripturam codicum PABFR integram adnotarem, consensum horum omnium codicum littera *o*, quattuor codicum ABFR littera *r* insignirem.

---

1) Josa, I codici manoscritti della Biblioteca Antoniana di Padova, Padova 1886 p. 34 hunc codicem ita descripsit: 'Aristotelis — opuscula varia — (Scaff. XVII, n. 370). Cod. Membr. del Secolo XIV di pag. 162, che mis. cent. 39 × 25, scritto in dop. col. a caratteri distintissimi e di bella forma. Undici sono gli opuscoli Aristotelici che vi si contengono, nel principio dei quali si legge — *Incipit Liber .... translatus de graeco in latinum a Magistro Bartholomaeo de Messana in Curia illustrissimi Manfredi Serenissimi Regis Siciliae Scientiae amatoris, de mandato suo.* — E le traduzioni sono tutte ben diverse da quelle delle opere stampate. Gli opuscoli però sono: Problemata. De Principiis. De mirabilibus Auditionibus. De Eupragia (id est bona operatione). De Signis. De Inundatione Nili. De Mundo. De Animalibus. De differentia Spiritus et Animae. De Motu Animalium.'

De fatis quae interpretatio habuerit, cum de translat. lat. p. 3 sq. copiosius exposuerim, hoc loco brevis esse possum.

Saeculo XV exeunte et XVI ineunte sexies impressa est: primum anno 1482 per magistrum Philippum Venetum e codice qui similis fuit Gothano[1]), iterum[2]) typothetarum vitiis aliis correctis, aliis illatis anno 1489 Venetiis per Bernardinum de Tridino de Monteferato. editio tertia[3]), quae Venetiis anno 1496 opera Gregorii de Gregoriis prodiit, et ipsa editione principe nititur, ita tamen ut codicis quidem, ut videtur, ope qui aliquatenus F codici similis fuit emendaretur, simul autem novis mendis foedaretur. quarta[4]) editio Venetiis anno 1508 per Bonetum

1) In calce editionis fol. 348 leguntur haec: *Expliciunt opera Aristotelis de naturali philosophia impressa Venetiis Duce inclito Ioanne Mocenico per magistrum Philipum Venetum: eiusque impensis diligentissime emendata: Anno domini Millesimo CCCC.LXXII. pridie Nonas Aprilis.* 'Phisionomia' continetur foliis 218^{v}—226^{v}.

2) In calce editionis leguntur haec: *Omnia Aris. opera cum Commento Averrois. Impressa Venetiis Accurate ac Diligenter per Bernardinum de Tridino de Monteferato. Anno a Natali Cristiano. M.CCCC.LXXXVIIII. Nonis. Septembribus.* 'Physionomia' foliis 270 et 271 continetur.

3) In folio extremo (404) leguntur haec: *Impraessum est praesens opus* (opera Aristotelis) *Venetiis per Gregorium de Gregoriis expensis Benedicti Fontanae Anno salutifere incarnationis domini nostri. M.CCCC.XCVI. Die vero XIII. Iulii.* 'Phisionomia' continetur foliis 342—347^{v}.

4) In calce editionis (fol. 124) leguntur haec: *Summi philosophi Aristotelis Stragyrite peripatheticorum principis cum Averroys Cordubensis expositionibus Economicorum. et ex consequenti totius philosophie moralis opus: cum Physionomia feliciter finit. Impensa ac summa diligentia heredum Nobilis viri quondam domini Octaviani Scoti civis ac patritii Modoetiensis Venetiis Impressum per Bonetum Locatellum presbyterum. Anno salutifere incarnationis domini. 1508. Die vero 21. Iunii.* 'Physionomia' foliis 121^{v}—124 continetur.

Locatellum facta fere repetitio est Venetae secundae, ut quinta[1]), quae Papiae anno 1515 prodiit, quartae, sexta[2]) anno 1517 Lipsiae per Matthiam Leucomannum Cygneum curata tertiae. omnium harum editionum, quippe quae vitiis scateant neque ullam bonam lectionem praebeant, quae non in uno e codidicibus quattuor ABFR reperiatur, lectiones ab apparatu critico exsulare iussi.

Etiam maiore iure idem de editionibus quae secutae sunt statuendum erat.

Paulo enim post quam sextum prodiit haec translatio etiam violentiorem quam ab auctore archetypi codicum *r* passa est mutationem. elocutio enim et interpretatio translationis, cuius proprium erat verbum verbo reddere, fieri non potuit quin nimis hispida et soloeca videretur aetati cui Cicero 'sacrosanctus eloquentiae Latinae parens' esset. itaque exstitit corrector qui nihil antiquius haberet quam ut stilum aliquatenus limaret atque perpoliret, etsi non in hac re acquievit, sed etiam verborum sensum mutavit secutus

---

1) In fronte editionis haec leguntur: *Infinita nature secreta quibus libet hominibus Contingentia previdenda cavenda ac persequenda declarant in hoc libro contenta. Physionomia Summi Aristotelis. Physionomia Michaelis Scoti. Physionomia Coclitis. Chyromantia eiusdem. Cum approbatione Achilini. — Cum gratia et privilegio papie impressa 1515.* 'Physionomia' primis foliis 2—4 continetur.

2) Titulus libelli est: *Liber Aristotelis de physiognomia. Hieronymi Adami Bauczeni Elegia in physiognomiam Aristotelis.* In calce (fol. 12) haec leguntur: *Impressum Lipsigk per Baccalaureum Vuolffgangum Monacensem. Anno domini 1517.* 'Physiognomia', cuius in fronte non sine errore scriptum est: *Summi philosophi Aristotelis Stagerite peripateticorum principis Physiognomia: ex libro de secretis ad Alexandrum Asie regem invictissimum feliciter incipit,* foliis 2^{v}—12 continetur.

lectiones editionis operum Aristotelicorum graecae Basileae anno 1531 foras missae. atque cum nova haec translationis forma (= t) primum in opere inscripto: Aristotelis Stagiritae, Philosophorum omnium facile principis, opera quae quidem extant omnia, latinitate vel iam olim, vel nunc recens a viris doctissimis donata et graecum ad exemplar diligentissime recognita, Basileae MDXXXVIII compareat et eius editor, qui fuit Simo Grynaeus, non solum titulo testetur graecum exemplar esse adhibitum, sed etiam in praefatione diserte dicat curam se egisse, ut scabrities multarum interpretationum castigaretur[1]), probabile est Grynaeum si minus ipsum correctorem, certe correctionis auctorem fuisse. nam hac re quod Iacobus Fontanus (Physiognomia Aristotelis ordine compositorio edita, in Font. opp. Coloniae Allobr. 1613 p. 285, 287, 292) hanc translationis formam confidenter sub Argyropuli nomine laudat, nemo, opinor, sese decipi patietur. causa enim erroris in propatulo est. versiones operum, a quibus illa editio Basileensis incipit, Argyropuli sunt. editio autem translationis, quam manibus trivit corrector, ut e consensu quorundam mendorum elucet, Veneta tertia fuit.

Sed ne haec quidem forma, quae saepissime repetita[2]) et hoc saeculo in editionem ab academia Bero-

---

1) Simon Grynaeus lectori: *Equidem scabricies illa linguae, qua male latina doctus principio multis in operibus valde balbutiebat adhuc, pro virili per doctos curatum est, ut paucis admodum exceptis castigaretur.*

2) Repetita est primum altera editione Basileensi anno 1542 ab Hieronymo Gemusaeo curata (tom. III p. 580—589),

linensi curatam recepta est, incolumis mansit, sed iterum correctoris manum movit. anno enim 1552 Venetiis apud Iuntas nova prodiit operum Aristotelicorum versio inscripta: Aristotelis Stagiritae omnia quae extant opera nunc primum selectis translationibus collatisque cum graecis emendatissimis exemplaribus, Averrois Cordubensis in ea opera omnes qui ad nos pervenere commentarii, Io. Baptistae Bagolini Veronensis Labore ac diligentia, Venetiis apud Iuntas MDLII.[1]) cuius auctor, Bagolinus Veronensis, 'graeca emendatissima exemplaria esse collata' et 'Physiognomicorum librum plurimis in locis diligenter castigatum sese praebere' contendit. iure quidem ille saltem aliquo. nam quamquam is quoque huic potissimum rei operam dedit, ut sermonem latinum versionis novae t ad maiorem elegantiam revocaret, tamen etiam nonnulla quae in t omissa vel peccata erant, supplevit vel correxit secutus, ut videtur, graecam editionem Basileensem secundam anno 1539 foras missam. sed haec retractatio, postquam semel in volumine septimo editionis anno 1562 Venetiis ab Iuntis curatae fol. 132^{v}—139^{v} repetita est, prae t forma in oblivionem cecidit, nisi quod Franzius

---

iterum editione quae anno 1549 Lugduni apud Ioannem Frellonium prodiit (tom. II col. 1623—1638), deinceps editionibus Casauboni, Du Vallii, Franzii. Etiam Franciscus Sanchez 'in Lib. Aristotelis, Physiognomicôn, Commentario' (Fr. S. tractatus philosophici, Roterodami 1649 p. 295—321) hanc formam commentandam sumpsit.

1) Physiognomonica volumine septimo, quod anno 1553 prodiit, fol. 72^{v}—76^{r} continentur.

passim eius mentionem fecit. qui cum eam Averrois esse dicit, id quod non solum Fuellebornio (Beytraege zur Geschichte der Philosophie, VIII. Stück p. 66 et 107), sed etiam Carolo Ludovico Struvio (Opusc. II p. 177) persuasit, in errorem ridiculum deductus est nulla, ut videtur, alia re, nisi quod editio Veneta Aristotelis opera cum Averrois commentariis sese praebere profitetur.

Restat ut omnino non a Bartholomaei translatione pendere, sed suo utrumque Marte verba graeca latine interpretatum esse adnotem Iodocum Willichium Resellianum in libello inscripto 'Physiognomonica Aristotelis latina facta, a Iodoco Willichio Reselliano' et 'excuso Vitebergae, in officina Nicolai Schirlentz. Anno MDXXXVIII' et Andream Lacunam in libello inscripto 'Aristotelis liber de physiognomonicis, Andrea a Lacuna Secobiense interprete. Parisiis. Ex officina Prigentii Caluarini ad Geminas Cyppas in Clauso Brunello. 1541.'[1]) cuius rei indicio erit principium ita conversum a:

Barth.	Willich.	Lacun.
Quoniam et animae sequuntur cor-	*Quod animi sequantur corpora et*	*Quod mores animae corpora ipsa*

1) Uterque libellus hodie rarissimus est; prior in bibliotheca Monacensi, alter in museo Britannico reperitur, cuius ex exemplari quae supra dedi Georgius Hoffmannus mihi exscripsit. annus 1535, quo Lipenius (Bibl. realis philosophica, Francofurti ad Moenum 1682 p. 1166 s. v. Physiognomia) Lacunae versionem prodiisse contendit, vereor ne errore contineatur. Iacobum Fontanum in 'Physiognomia Aristotelis ordine compositorio edita' Lacunae versionem adhibuisse de translat. lat. p. 20 not. 3 demonstravi.

Barth.	Willich.	Lacun.
pora et ipsae secundum se ipsas non sunt impassibiles a motibus corporis. hoc autem manifestum fit valde in ebrietatibus et in egritudinibus. multum namque animae mutatae videntur a passionibus corporis, et e contrario utique corpus compatitur passionibus animae. manifestum autem fit circa amores et timores et tristitias et delectationes.	*non sint sui ratione liberi a corporum motibus, satis dilucide patet. Nam in temulentia, in aegrotatione, animi a corporum affectionibus permutantur. Et contra quod iuxta cum animi affectionibus corpus quoque laboret, amores, timores, tristitiae et voluptates declarant.*	*sequantur, quodque à motionibus corporum possint affectionem accipere, id valde perspicuum est, cum in temulentia, tum vel maxime in sinistra corporis valetudine. Impense siquidem immutari videntur ingenia a corporis affectionibus. Similiter etiam econverso, ipsius animae affectibus consortii lege compati corpus videtur, ut in amoribus et timoribus, similiter in tristitia et voluptate manifeste videre licet.*

Haec fere erant quae de translatione Bartholomaei dicenda existimarem.

Sed etiamsi haec cum codicibus graecis ad libellum recensendum adhibetur, tamen haud pauci supersunt loci qui manum requirant emendatricem grammati-

corum. qui quo pacto officium suum obierint, nunc paucis videamus.

Ac primum quidem de editoribus.

Aldus quidem Manutius, qui imprimis Alexandro Bondino (Agathemero) correctore usus est, editionem principem (= Ald.) curavit, quae Venetiis anno 1497 prodiit (fol. 394ᵛ) uno codice Parisino ita adhibito, ut longe plurimae eius lectiones servarentur, nonnullae feliciter, paucae infeliciter corrigerentur.[1]) haec editio per plus dimidium saeculum unicum fuit fundamentum, in quo reliquae niterentur. nam paucis tantum locis ea correcta est primum editione Iuntina (= Iunt.) anno 1527 Florentiae apud heredes Philippi Iuntae per Nicolaum Leonicum Thomaeum curata (fol. 278ᵛ), deinde editione Basileensi prima (=Bas. I) anno 1531 Basileae apud Ioannem Bebelium a Desiderio Erasmo et Simone Grynaeo curata (fol. 314ᵛ), tum editione Basileensi secunda (t. I p. 562) (= Bas. II), quae anno 1539 Basileae apud Ioannem Bebelium et Michaelem Isingrinium a Grynaeo paulo emendatior facta est quam prima, denique editione Basileensi tertia (= Bas. III) anno 1550 Basileae per eosdem typographos foras missa (t. I p. 539), quae secundam quidem repetivit, sed simul nonnusquam correxit notasque aliquot criticas in margine addidit atque prima capitum divisiones inscriptionesque graecas induxit. multis autem locis vestigia editionis principis reliquit Ioannes Baptista Camotius editione anno 1553 Venetiis apud Aldi filios foras missa (t. III p. 831),

1) Cf. de Ar. phys. recens. p. 10 sq.

qui pauca ex suo ingenio, plurima e codice correxit vel inseruit, qui familiae DL, nisi ipse alteruter horum, fuit. contra non e codice, sed e largo ingenii et scientiae graecae linguae penu nonnullas praeclaras lectiones Fridericus Sylburgius prompsit, cum anno 1587 Francofurdi apud Andreae Wecheli heredes inter 'Aristotelis varia opuscula' etiam Physiognomonica (p. 135 sq.) ederet. pauca Isaacus Casaubonus in editione emendavit, quae anno 1590 Lugduni apud Iacobum Bubonium prodiit (p. 713), nihil Du Vallius, qui anno 1639 Parisiis apud Aegidium Morellum editionem Casauboni repetivit (t. II p. 740), nihil, si *καὶ* inter *Αἰγυπτίους* et *Αἰθίοπας* p. 72, 17 insertum et *ἐπιφοινίσσονται* pro *ἐκφοινίσσονται* p. 76, 9 excipis, Ioh. Georg. Fridericus Franzius in editione scriptorum physiognomoniae veterum Altenburgi 1780 foras missa p. 1 sq., immo vero hic multas emendationes Sylburgii sprevit. recensionis quam iure dicere possis auctor Immanuel Bekker exstitit, qui tres codices ABC, quos ipse litteris $N^a Q O^a$ insignivit, inspexit, tres DKE, qui apud eum sigla $L^a K^a I^a$ gerunt, contulit collatorumque lectiones publici iuris fecit p. 805^a 1 —814^b 9, sed vir de Aristotele unus praeter ceteros meritus in hoc quidem opusculo edendo minus felix fuit, cum non solum vestigia D codicis interpolati quam consensum K et E codicum sequi maluerit, sed etiam de lectionibus codicum male rettulerit, sive quod sigla codicum non semel confudit, sive quod in conferendo paululum properavit. in eius opera fere acquieverunt Bussemaker, qui anno 1857 editionem Didotianam Aristotelis vol. IV (p. 1—15), et Carolus

Prantl, qui anno 1881 editionem bibliothecae Teubnerianae curavit, nisi quod hic etiam magis quam Bekker D codicem duobus aliis anteposuit.

Ex numero autem eorum qui praeter hos nostro libello corrigendo operam dederunt hi mihi laudandi esse videntur.

Vitia nonnulla sublata sunt a Iodoco Willichio in praefatione interpretationis latinae, de qua supra p. LXIV sq. verba feci, Conrado Gesnero in historiae animalium tom. I et II (Tiguri 1551 et 1554; ed. II Francof. 1620), Ioanne Baptista Porta de humana physiognomia (ed. Vici Equensis 1586; Francof. 1592 et 1601; Neapoli 1602; Rothomag. 1650)[1]), unum (§ 70 p. 84, 1) ab Hemsterhusio (Hesych. ed. Albert. t. II p. 46), complura ab Iohanne Aenotheo Schneidero cum in tirocinio 'Periculo critico in Anthologiam Constantini Cephalae' Lipsiae anno 1771 edito, tum in notis exemplari editionis physiognomonicorum Franzianae, quod nunc in bibliotheca universitatis Vratislaviensis est, adscriptis, pauca a Carolo Ludovico Struvio opusc. II, 177 et a Taubio in dissertatione inscripta 'tractand. script. graec. physiogn. praeparatio' et Vratislaviae anno 1862 edita p. 10, nonnulla a Valentino Rosio (Arist. pseudepigr. p. 700 sq. et in Anecd. graec. I) et Bonitzio in indice Aristotelico, plura a Michaele Hayduckio in 'emendationibus Aristoteleis' programmati gymnasii Meldorfiensis anno 1877 subiectis p. 17—19, nullum ab Ignatio Henrychowskio in dissertatione in-

1) Hac editione ego usus sum.

scripta 'Aristotelis, Polemonis, Adamantii doctrinae physiognomonicae in harmoniam redactae et emendatae', Vratislav. 1868 p. 27 sq., qui etiam Schneideri ad tres scriptores physiognomonicos emendationes, sed neque omnes neque prorsus accurate publici iuris fecit. denique Curtius Wachsmuthius nonnulla multis abhinc annis ab ipso egregie inventa per litteras mecum communicavit et ut publici iuris facerem permisit.

Quae hi omnes viri docti corrigenda reliquerunt, pro viribus aggressus sum. utrum nonnullis medicinam paraverim, penes gnaros iudicium esto. multa tamen aliis expedienda restare haud ignoro.

Iam nihil superest nisi ut totum opusculum a me in paragraphos divisum duasque eius partes numeris I et II distinctas esse adnotem.

Sed etiam multis aliis studia physiognomonica Aristotele auctore atque auspice culta sunt.

Nomen Eusthenis physiognomonis tertii a. Chr. saeculi nobis innotuit ex epigrammate sepulcrali quod sub Leonidae Tarentini nomine in Anthologia Palatina VII, 661 et inter Theocritea (XI) exstat:

Εὐσθένεος τὸ μνῆμα· φυσιγνώμων ὁ σοφιστής,
δεινὸς ἀπ' ὀφθαλμοῦ καὶ τὸ νόημα μαθεῖν.
εὖ μιν ἔθαψαν ἑταῖροι ἐπὶ ξείνης ξένον ὄντα
χὑμνοθέτης αὐτοῖς δαιμονίως φίλος ὤν.
πάντων ὧν ἐπέοικε τύχεν τεθνεὼς ὁ σοφιστής·
καίπερ ἄκικυς ἐὼν εἶχ' ἄρα κηδεμόνας.

Imprimis stoicorum principes studio physiognomoniae dediti erant Zeno et Cleanthes[1]) et Posi-

1) Laert. Diog. VII, 173 *φάσκοντος αὐτοῦ (Κλεάνθους) κατὰ Ζήνωνα καταληπτὸν εἶναι τὸ ἦθος ἐξ εἴδους* (= Pearson, the fragments of Zeno and Cleanthes p. 188 fr. 147 et p. 330 fr. 20); ib. 129 *ἐρασθήσεσθαι τὸν σοφὸν τῶν νέων τῶν ἐμφαινόντων διὰ τοῦ εἴδους τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐφυίαν, ὥς φησι Ζήνων ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ βίων καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ ἠθικῇ* (= Pearson l. l. p. 205 fr. 172); Tertull. de anima c. 5 (*Vult Cleanthes*) *porro et animam compati corpori, cui laeso ictibus, vulneribus, ulceribus condolescit, et corpus animae, cui adflictae cura, angore, amore coaegrescit per detrimentum scilicet vigoris, cuius pudorem et pavorem rubore atque pallore testetur;* Nemes. de nat. hom. c. 2 *ἔτι φησίν (ὁ Κλεάνθης)· συμπάσχει δὲ ἡ ψυχὴ τῷ σώματι νοσοῦντι καὶ τεμνομένῳ καὶ τὸ σῶμα τῇ ψυχῇ· αἰσχυνομένης γοῦν ἐρυθρὸν γίνεται καὶ φοβουμένης ὠχρόν. σῶμα ἄρα ἡ ψυχή* (= Pearson l. l. p. 263 fr. 36; exscripsit Melet. de nat. hom. Cramer. Anecd. Oxon. III p. 152, 29 *λέγεται δ' ἡ ψυχὴ πολλοῖς τῶν τοῦ σώματος παθῶν ἐγκατέχεσθαι· φαίνεται γὰρ καὶ συμπάσχουσα τῷ σώματι καὶ προπάσχουσα·*

donius, qui Polybio duce plurimum operae morum diversitati e regionibus explicandae impendisse videtur.[1])

Peculiaris autem de physiognomonia fuit libellus Loxi medici, quem non cum Rosio (Anecd. I, 82) pro Eudoxo Cnidio habendum esse, sed post medium tertium saeculum fuisse probasse mihi videor[2]) collato potissimum loco physiognomoniae latinae § 11 (t. II p. 20, 8) *alius sternutamento subito virum se non esse confessus est*, quem ad Loxum referendum esse docui, cum narratiuncula quae de Cleanthe ferebatur nobisque a Laertio Diogene VII § 173 tradita est *λέγεται δὲ φάσκοντος αὐτοῦ κατὰ Ζήνωνα καταληπτὸν εἶναι τὸ ἦθος ἐξ εἴδους νεανίσκους τινὰς εὐτραπέλους ἀγαγεῖν πρὸς αὐτὸν κίναιδον ἐσκληραγωγημένον ἐν ἀγρῷ καὶ ἀξιοῦν ἀποφαίνεσθαι περὶ τοῦ ἤθους, τὸν δὲ διαπορούμενον κελεῦσαι ἀπιέναι τὸν ἄνθρωπον· ὡς δὲ ἀπιὼν ἐκεῖνος ἔπταρεν, ἔχω, εἶπεν, αὐτόν, ὁ Κλεάνθης· μαλακός ἐστι.*[3])

πολλάκις γὰρ τὴν τομὴν τοῦ σώματος ἀγωνιῶσα δείκνυται καὶ πρὸ τοῦ πάθους τοῦ σώματος ἀλλοιουμένη καὶ μετὰ τὴν τομὴν οὐδὲν ἔλαττον τὰ τῆς ὀδύνης δεχομένη καὶ νοσοῦντι μὲν συννοσεῖ καὶ τεμνομένῳ συνοδυνᾶται καὶ αἰσχυνομένη ἐρυθρὸν εἶδος δείκνυσι καὶ φοβουμένη ὠχρόν· οὐδὲν δὲ ἀσώματον συμπάσχει σώματι οὐδὲ ἀσωμάτῳ σῶμα, συμπάσχει δὲ ἡ ψυχὴ τῷ σώματι. σῶμα ἄρα ἡ ψυχή); Ioann. Damasc. Flor. Laur. II, 25, 37 (= Stob. flor. I, 50, 34 ed. Wachsmuth t. I p. 477, 14) *οἱ στωικοὶ τὸν σοφὸν αἰσθήσει καταληπτὸν ἀπὸ τοῦ εἴδους τεκμηριωδῶς*; Plut. de comm. notit. c. 28 p. 1073 B (= syll. loc. phys. fr. 76) *ἐν γὰρ αἰσχίστοις καὶ κακίστοις οὐκ ἂν ἔμφασις γένοιτο κάλλους, εἴπερ, ὡς λέγουσιν (οἱ στωικοί), ἡ μοχθηρία τοῦ ἤθους ἀναπίπλησι τὸ εἶδος*; Cass. Probl. 51 (= syll. fr. 85). cf. de Arist. phys. indole ac condicione p. 292.

1) Cf. Galen. de Hippocr. et Plat. dogm. V, 5 p. 442 M. (= syll. loc. phys. fr. 66); Polyb. IV, 21 (= syll. fr. 65).

2) De Polemonis physiognomonicis p. 6; de Loxi physiognomonia Mus. Rhen. XLIII, 505 sq.

3) Ad communem fontem referenda sunt quae Cleanthe non nominato a Dione Chrysostomo narrantur orat. Tars. I (II, 26 R.,

nominis tantum eius mentio facta est ab Origene c. Cels. I § 33 *ἐὰν δὲ καὶ τὰ τῶν φυσιογνωμονούντων κρατῇ εἴτε Ζωπύρου εἴτε Λόξου εἴτε Πολέμωνος εἴτε οὗτινός ποτ' οὖν τοιαῦτα γράψαντος καὶ ἐπαγγειλαμένου εἰδέναι τι θαυμαστόν*, sed libellus eius non solum in manibus, verum etiam unus e tribus fontibus fuit, e quibus auctor latinus saeculo ut videtur quarto exeunte physiognomoniam quam supra laudavi compilavit. quin etiam si recte nonnulla Loxo dedi, quae in hac sine nomine auctoris leguntur, is initio hunc potissimum ducem sequi voluisse videtur, sed in corporis partibus persequendis mox (post capillorum et cutis capitis descriptionem inde a § 16) eius vestigia reliquit et Polemonem secutus est, si recte conieci, propterea quod intellexit simplicitati et claritati melius sese prospecturum, si hunc singulas signorum proprietates singillatim pertractantem sequeretur quam si Loxum diversas, velut in capillis colorem, statum, densitatem, crassitudinem, coacervantem. unde factum

---

cf. syll. loc. phys. fr. 72) *ἀλλ' ἐγὼ βούλομαί τινα λόγον ὑμῖν εἰπεῖν, ὃν ἴσως καὶ ἄλλοτε ἀκηκόατε. τῶν γὰρ ἐνθάδε δεινῶν τινα λέγουσιν εἴς τινα πόλιν παραγεγονέναι τῶν αὐτὸ τοῦτο ἔργον πεποιημένων, ὥστε εὐθὺς εἰδέναι τὸν τρόπον ἑκάστου καὶ διηγεῖσθαι τὰ προσόντα καὶ μηδενὸς ὅλως ἀποτυγχάνειν. ἀλλ' ὥσπερ ἡμεῖς τὰ ζῷα γιγνώσκομεν ὁρῶντες — οὕτως ἐκεῖνος τοὺς ἀνθρώπους ἠπίστατο ὁρῶν. — ὡς οὖν θαυμαστὸς ἦν ἐπιδεικνύμενος καὶ οὐδαμῇ διημάρτανε, προσάγουσιν αὐτῷ σκληρόν τινα τὸ σῶμα καὶ σύνοφρυν ἄνθρωπον αὐχμῶντα καὶ φαύλως διακείμενον καὶ ἐν ταῖς χερσὶ τύλους ἔχοντα, φαιόν τι καὶ τραχὺ περιβεβλημένον ἱμάτιον, δασὺν ἕως τῶν σφυρῶν καὶ φαύλως κεκαρμένον, καὶ τοῦτον ἠξίουν εἰπεῖν, ὅστις ἦν: ὁ δὲ ὡς πολὺν χρόνον ἑώρα, τελευταῖον ὀκνῶν μοι δοκεῖ τὸ παριστάμενον λέγειν οὐκ ἔφη συνιέναι, καὶ βαδίζειν αὐτὸν ἐκέλευσεν. ἤδη δὲ ἀποχωρῶν πτάρνυται, κἀκεῖνος εὐθὺς ἀνεβόησεν, ὡς εἴη κίναιδος. εἶτα ἐπ' ἀνθρώπου μὲν ὁ πταρμὸς ἐξήλεγξε τὸν τρόπον καὶ πρὸς τἄλλα πάντα ἴσχυσε τὸ μὴ λαθεῖν.*

est, ut pauca de eius doctrina certo sciamus[1]), paulo plura coniectare possimus. illorum gravissimum est, quod sanguinem animae habitaculum esse dixit (§ 2), physiognomoniae ex animalibus petendae multum tribuit (§ 117 sq.), sed etiam futura a physiognomone praedici posse contendit (§ 133)[2]); horum, quod etiam

1) Nihil nos lucri capere iis quae Matthias Farinatoris in libro inscripto Lumen animae e *Loxo in phisonomia* protulit, infra (capite IV) exponam.

2) Praeiverat praeter Zopyrum Hippocrates (epid. II, 6, 1 *οἱ μακρόβιοι πλείους ὀδόντας ἔχουσι*) signa longaevitatis proferens et hoc duce Aristoteles hist. anim. II, 3 p. 501ᵇ 22 *ὅσοι δὲ πλείους ἔχουσιν* (*ὀδόντας*), *μακροβιώτεροι ὡς ἐπὶ τὸ πολύ εἰσιν, οἱ δ' ἐλάττους καὶ ἀραιόδοντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ βραχυβιώτεροι*; cf. probl. X, 48 p. 896ᵃ 30 et XXXIV, 1 p. 963ᵇ 18; probl. X, 64 p. 898ᵃ 38 *διὰ τί ὅσοις τὰ ἀπὸ τοῦ ὀμφαλοῦ κάτω μείζονα ἢ τὰ πρὸς τὰ στήθη, βραχύβιοι καὶ ἀσθενεῖς*; hist. anim. I, 15 p. 493ᵇ 32 *χειρὸς δὲ τὸ μὲν ἐντὸς θέναρ, σαρκῶδες καὶ διῃρημένον ἄρθροις, τοῖς μὲν μακροβίοις ἑνὶ ἢ δυσὶ δι' ὅλου, τοῖς δὲ βραχυβίοις δυσὶ καὶ οὐ δι' ὅλου*; cf. probl. X, 49 p. 896ᵃ 37 et XXXIV, 10 p. 964ᵃ 33; de quo Plinius n. h. XI, 273 *miror equidem,* inquit, *Aristotelem non modo credidisse praescita vitae esse aliqua in corporibus ipsis, verum etiam prodidisse. quae quamquam vana existimo nec sine cunctatione proferenda, ne in se quisque ea auguria anxie quaerat, attingam tamen, quia tantus vir in doctrinis non sprevit. igitur vitae brevis signa ponit raros dentes, praelongos digitos, plumbeum colorem pluresque in manu incisuras nec perpetuas. contra longae esse vitae incurvos umeris et in manu unam aut duas incisuras longas habentis et plures quam XXXII dentes, auribus amplis. nec universa haec, ut arbitror, sed singula observat, frivola, ut reor, et volgo tamen narrata.* et mortis futurae vitaeque praeteritae annos e facie hominum divinavit physiognomon Aristotelis aequalis teste Apione apud eundem Plininm XXXV, 88 *imagines adeo similitudinis indiscretae pinxit, ut — incredibile dictu — Apio grammaticus scriptum reliquerit quendam ex facie hominum divinantem, quos metoposcopos vocant, ex iis dixisse aut futurae mortis annos aut praeteritae vitae.* sortem futuram e Sullae facie praedixit physiognomon Chaldaeus teste Plutarcho Sull. 5, 5 *ἱστορεῖται δέ τις ἀνὴρ τῶν μετὰ Ὀροβάζου καταβεβηκότων Χαλδαῖος εἰς τὸ τοῦ Σύλλα πρόσωπον ἀπιδὼν καὶ ταῖς κινήσεσι τῆς τε διανοίας καὶ τοῦ σώματος οὐ παρέργως ἐπι-*

in discrimine generis masculini et feminini (§ 4 sq.) exponendo multus et in vi singulis corporis partibus tribuenda uberior et subtilior fuisse videtur quam auctores duorum libellorum qui Aristotelis physiognomoniam efficiunt. ceterum hos aeque atque Polemo novit et plerumque secutus est, quoniam aliter explicari non potest consensus quem inter tres auctores Loxum Pseudaristotelem Polemonem in plurimis exstare physiognomonia latina testata est § 89 *haec sunt quae apud Loxum et Aristotelem notanda esse credidimus, quae etiam a Palemone vel non dicta vel aliter dicta esse perspeximus. in ceteris enim propemodum omnibus hi tres auctores sibimet consentiunt* (cf. § 80 *quae enim Palemon dixit et consentanea sunt reliquis auctoribus, propemodum prosecuti sumus*).

στήσας, ἀλλὰ πρὸς τὰς τῆς τέχνης ὑποθέσεις τὴν φύσιν ἐπισκεψάμενος εἰπεῖν, ὡς ἀναγκαῖον εἴη τοῦτον τὸν ἄνδρα μέγιστον γενέσθαι, θαυμάζειν δὲ καὶ νῦν, πῶς ἀνέχεται μὴ πρῶτος ὢν ἁπάντων. similia in Britannico et Tito facta esse tradit Suetonius Tit. 2 *quo quidem tempore aiunt metoposcopum a Narcisso Claudii liberto adhibitum, ut Britannicum aspiceret, constantissime affirmasse illum quidem nullo modo, ceterum Titum, qui prope astabat, utique imperaturum.* sed etiam Polemo physiognomoniam exercuit praenuntiam (cf. vers. arab. c. 67, 68, 70; phys. lat. § 133 p. 144, 15 sq.) et Sallustius neoplatonicus aliique secundum Damascium vit. Isid. apud Photium bibl. cod. 242 p. 342^b 6 *ὅτι ὁ Σαλούστιος εἰς τοὺς τῶν ἐντυγχανόντων ὀφθαλμοὺς ἀφορῶν προέλεγεν ἑκάστοτε τὴν βίᾳ γενησομένην ἑκάστῳ τελευτήν. τὴν δ' αἰτίαν τῆς προγνώσεως οὐδ' αὐτὸς εἶχε φράζειν· καίτοι ἐπειρᾶτο ἐρωτώμενος τὸ σκοτεινὸν τῶν ὀφθαλμῶν αἰτιᾶσθαι καὶ ἀχλυῶδες καὶ νοτισμοῦ μεστόν, οἷον ἐπὶ πένθεσι ταῖς κόραις αὐταῖς ἐμφερόμενον. καὶ Οὐράνιόν τινα ὄνομα Ἀπαμείας τῆς ἐν Συρίᾳ πολίτην καὶ ἄρξαντα Καισαρείας τῆς ἐν Παλαιστίνῃ ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν γνωρίζειν τὸν ὅμοιον τρόπον τοὺς πολυαράτους γόητάς φησι. καὶ Νόμον δέ τινα τοὔνομα πολίτην ἴδιον ὁ συγγραφεὺς λέγει ἀπὸ τῆς κατὰ τὰ ὄμματα τῶν ἐντυγχανόντων θέας τοὺς λανθάνοντας ἐπιγινώσκειν φονέας.*

II.

Sed famam Loxi ut reliquorum fere omnium excepto Aristotele physiognomonum neque non aequalis Megistiae[1]) Smyrnaei oblitteravit summamque apud posteriores auctoritatem nactus est, ut de palma cum Aristotele certaret, Polemo idem ille atque Antonius Polemo Laodicensis rhetor et historiarum scriptor[2]), qui sub Traiano et Hadriano[3]) floruit et anno fere LVI vitae sub Antonino Pio circa annum 144 mortem obiit.[4])

---

1) Philostr. vit. soph. 27, 5 *ἀγροικότερός τε ὢν τὸ εἶδος ὅμως ἀμήχανον εὐγένειαν ἐπεδήλου (ὁ Ἱππόδρομος) τοῖς ὄμμασι γοργόν τε καὶ φαιδρὸν βλέπων. τουτὶ δὲ καὶ Μεγιστίας ὁ Σμυρναῖος ἐν αὐτῷ καθεωρακέναι φησὶν οὐ τὰ δεύτερα τῶν φυσιογνωμονούντων νομισθείς.*

2) Phrynichus s. v. *κεφαλαιωδέστατον·* (p. 339 Ruth.) *τοῦτο τοὔνομα εὗρον ἐν ἀρχῇ τῶν Πολέμωνος τοῦ ἰωνικοῦ σοφιστοῦ ἱστοριῶν κατὰ προοίμιον καὶ θαυμάζω Σεκούνδου τοῦ συγγενομένου αὐτῷ γραμματικοῦ, πῶς ὢν τὰ ἄλλα δεξιὸς ἐπὶ λέξιν καὶ ἐπανορθῶν τὰ συγγράμματα τοῦ σοφιστοῦ τοῦτο παρεῖδεν ἀδόκιμον ὄν.* Cosmas autem ad Gregor. Naz. carm. CXIX (Mai, Spicil. Rom. t. II p. 259 *Πολέμων δὲ ἱστορεῖ τὰ καθ' Ἕλληνας, ὡς Ἰώσιππος καὶ Φίλων τὰ καθ' Ἑβραίους*) Polemonem Atheniensem non, quae fuit opinio Boissonadii Choric. p. 10, cum nostro, sed cum Iliensi confudisse videtur. cf. Suidas s. v. *Πολέμων Εὐηγέτου Ἰλιεύς — ἱστορικός.*

3) Euseb. chron. ab Abr. 2148 (i. e. 131 p. Chr.) p. 166 Sch. *Φαβουρῖνος καὶ Πολέμων ὁ ῥήτωρ ἐγνωρίζοντο.* Suidas s. v. *Πολέμων· ἦν δὲ ἐπί τε Τραιανοῦ καὶ μετ' αὐτόν.* annus ille 131 fortasse ad *τὴν γενομένην πρὸς τὸν Πολέμωνα τῷ Φαβωρίνῳ διαφορὰν* vel ad *τοὺς λόγους οὓς ἐπ' ἀλλήλους ξυνέθεσαν* (Philostr. vit. soph. I, 8, 3) referendus est.

4) Sub M. Aurelio demum mortuum eum esse statuit Rosius Anecd. I, 72 propter locum Philostrati vit. soph. I, 25, 7 *Μάρκου δὲ τοῦ αὐτοκράτορος πρὸς αὐτὸν εἰπόντος, τί σοι δοκεῖ ὁ Πολέμων; στήσας τοὺς ὀφθαλμοὺς ὁ Ἡρώδης ἵππων μ' ἔφη ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει, ἐνδεικνύμενος δὴ τὸ ἐπίκροτον καὶ τὸ ὑψηχὲς τῶν λόγων.* at quomodo regnum M. Aurelii videre potuit, qui a Traiano imperatore *ἀτέλειαν*

Opus eius quidem ipsum graecum periit, nisi quod una sententia servata est in codicis Bodl. Clarkiani 11 excerptorum farragine ab anonymo Christiano facta fol. 77, unde publici iuris fecit Cramer Anecd. Oxon. IV, 255[1]) *ὥσπερ ἐν ὀφθαλμῶν* (cod. *ὀφθαλμῷ*) *καὶ ὀφρύων καὶ ῥινὸς σχήματι* (cod. *σχήματος*) *χαρακτῆρές τινες ἐγκάθηνται τοῦ τῆς ψυχῆς ἰδιώματος· ὀφθαλμοὶ γάρ, φησὶν ὁ Πολέμων, ὑγροὶ λάμποντες ὡς λιβάδες ἤθη χρηστὰ ἐκφαίνουσιν,* — nam quod hodie Polemonis nomen prae se fert opusculum mentitur —, sed quae exstant versiones fere integra arabica et truncata latina et paraphrasis Adamantii dubitare nos non sinunt, quin Polemo vestigia illius libelli pseudaristotelici, cuius duas partes coniunctas, sed pleniores

---

nactus et iam LVI fere aetatis anno mortuus est teste eodem Philostrato I, 25, 3 *τὰ δὲ ἐκ βασιλέων αὐτῷ τοιαῦτα· Τραιανὸς μὲν αὐτοκράτωρ ἀτελῆ πορεύεσθαι διὰ γῆς καὶ θαλάττης* et 11 *ἐτελεύτα μὲν περὶ τὰ ἓξ καὶ πεντήκοντα ἔτη* (cf. Suidas s. v. *ἐτελεύτησε δὲ ἓξ καὶ ν' ἐνιαυτῶν*), *τὸ δὲ μέτρον τῆς ἡλικίας τοῦτο ταῖς μὲν ἄλλαις ἐπιστήμαις γήρως ἀρχή, σοφιστῇ δὲ νεότης ἔτι?* videtur igitur illud de quo verba facit Philostratus colloquium factum esse non tempore quo M. Aurelius imperator, sed adulescentulus apud Herodem Atticum artem oratoriam discens (Capitol. M. Anton. Phil. c. 2) vel Caesar erat, cui coniecturae favent quae M. Aurelius Caesar aetatis anno XXII (mense Iulio vel Augusto anni 143) ad alterum praeceptorem, Cornelium Frontonem consulem, scribit: *Polemona ante hoc triduum declamantem audivimus — si quaeris quid visus sit mihi, accipe. videtur mihi* etc. (Front. ad M. Caes. ep. II, 5 ed. Naber p. 29). neque cum his calculis non convenit, quod Polemo Prolegomenis in Aristidis Panath. t. III p. 737, 18 ed. Dind. et Suida s. vv. *Ἀριστείδης, Διονύσιος Ἀρεωπαγίτης, Πολέμων* testibus praeceptor fuit Aristidis rhetoris nati non anno demum 129, sed iam 117 (Letronne, recherches pour servir à l'hist. de l'Égypte p. 257 sq.; Kayser, Philostr. vit. soph. p. 339; Waddington, Mém. de l'Acad. des inscr. t. XXVI p. 247 sq.). ceterum cf. de Polem. physiogn. p. 1 et Waddington l. l. p. 254.

1) Ipse codicem anno 1880 inspexi.

legit quam nos, non solum in ordine, verum etiam in rebus singulis presserit magnamque partem suorum ex eo ita libaverit, ut saepe tantum dictionem mutaret, quoniam stilum limatiorem et elegantiorem sectatus est.[1]) nonnulla omisit, plura addidit vel novavit, sed haec fere non gravia. nam plures tantum species (εἴδη) hominum constituit multaque per exempla vel ex hominibus sui temporis (vers. arab. fol. 8^r, 9^v, 12^v, 14^r, 15^r, 15^v, 29^r, 47^r, 48^r, 48^v, 49^v), inter quos eminebat eius adversarius Favorinus (fol. 18^r), vel e gentibus, ut Thraciae incolis (fol. 5^v) et Armeniis (fol. 29^r), petita probavit; magnam in futuris praedicendis physiognomoniam vim habere aeque atque Loxus contendit.[2]) plurimum tribuit oculis, quos non solum, ut fores animae, in fronte totius expositionis collocavit, sed etiam copiosissime et subtilissime tractavit. verum ne huius quidem rei auctor exstitit. nam oculos plus quam reliquas corporis partes ad animos hominum perspiciendos valere iam diu ante eum apud omnes constabat. nam postquam per oculos tanquam per fores reclusas animum videre docuit Heraclitus quique eum sequebantur[3]), in promptu fuit dicere per

1) Cf. de Arist. phys. indole ac condicione p. 294 sq.

2) Cf. p. LXXIII not. 2.

3) Sextus Empir. adv. math. VII, 130 (*καθ' Ἡράκλειτον ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς) διὰ τῶν αἰσθητικῶν πόρων, ὥσπερ διά τινων θυρίδων, προκύψας καὶ τῷ περιέχοντι συμβαλὼν λογικὴν ἐνδύεται δύναμιν.* Chalcid. Tim. § 237 p. 272, 6 Wr. *Heraclitus intimum motum, qui est intentio animi sive animadversio, porrigi dicit per oculorum meatus atque ita tangere tractareque visenda.* Lucr. III, 359 *dicere porro oculos nullam rem cernere posse / sed per eos animum ut foribus spectare reclusis / desiperest* et 368 *praeterea si pro foribus sunt lumina nostra.* cf. Sext. Empir. l. l. VII, 350 *οἱ δὲ αὐτὴν (διάνοιαν) εἶναι τὰς αἰσθήσεις, καθάπερ διά τινων ὀπῶν τῶν αἰσθητηρίων προκύπτουσαν, ἧς στάσεως ἦρξε*

oculos etiam animum adiri atque inspici posse.[1]) cuius rei testes sunt e graecis fontibus libantes Cicero de orat. III, 59, 221 *in ore sunt omnia. in eo autem ipso dominatus est omnis oculorum. — animi est enim omnis actio et imago animi vultus, indices oculi. nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere* (cf. de leg. I, 9, 26), Plinius nat. hist. XI, 145 *neque ulla ex parte maiora animi indicia* (quam ex oculo) *cunctis animalibus, sed homini maxime, id est moderationis, clementiae, misericordiae, odii, amoris, tristitiae, laetitiae. — profecto in oculis animus habitat* (= syll. fr. 153), Quintilianus inst. or. XI, 3, 75 *sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus eminet* (= syll. fr. 160) nec non Eusthenes ille **δεινὸς ἀπ' ὀφθαλμοῦ καὶ τὸ νόημα μαθεῖν** (cf. supra p. LXX) et auctor libelli **περὶ ὕψους** c. 4 **ὅπου φασὶν οὐδενὶ οὕτως ἐνσημαίνεσθαι τήν τινων ἀναίδειαν ὡς ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς** (= syll. fr. 70).[2])

Quando opus a Polemone scriptum sit, dolendum

Στράτων τε ὁ φυσικὸς καὶ Αἰνησίδημος. Cic. Tusc. I, 20, 46 *facile intellegi possit animum et videre et audire, non eas partis, quae quasi fenestrae sint animi* (cf. de nat. deor. III, 4, 9).

1) Phys. lat. § 10 *hos (oculos) enim tanquam fores animae videri volunt. nam et animam dicunt per oculos emicare et solum hunc aditum esse, per quem animus adiri atque introspici possit.*

2) Cf. etiam Nonn. Dionys. III, 224 *ἀριφραδέων γὰρ ἀνάκτων | αὐτόματοι κήρυκες ἀναυδέες εἰσὶν ὀπωπαί*, Lactant. de opif. dei 8, 11 (= syll. fr. 168, cf. Sam. Brandt ann. philol. 143, 252 sq., Wiener Stud. XIII, 284), Melet. de nat. hom. c. 9 p. 78, 14 ed. Cramer (= syll. fr. 134). maxime frequentes sunt loci qui pudicitiam in oculis positam esse dicant, ut Aristot. apud Athen. XIII p. 564^b et quos Crusius Mus. Rhen. XLVI, 318 sq. collegit.

est quod certo dici non potest. aetate sane iam provectum eum fuisse inde elucet, quod multa se per vitam expertum esse plus semel indicat atque quae de physiognomonia doceat nisi *magno studio et diuturna experientia* sese non adsecutum esse testatur vers. arab. p. 192, 16. Hadrianum tamen vivum fuisse, cum scriberet, veri mihi videtur esse simile. e ratione sane qua oculos eius describit hoc quidem concludere non licet. nam et verba physiognomoniae lat. § 34 p. 52, 2 *tales Palemon auctor refert fuisse oculos Hadriani imperatoris: χαροπούς, humidos, acres, magnos, luminis plenos* in ambiguo relinquunt, utrum de imperatore vivo an mortuo accipienda sint, et forma praedicati, quo idem enuntiatum continetur, et '*sunt*' et '*fuerunt*' significare potest in versione arabica fol. 15ʳ: *sunt* (aut '*fuerunt*') *certe oculi Hadriani imperatoris huius generis, nisi quod luminis pulcri pleni sunt* (aut '*erant*') *atque charopi, acres obtutu, cum inter homines visus non sit* (aut '*esset*') *quisquam luminosiore praeditus oculo.* sed alter locus versionis arabicae, quo de itinere Hadriani, quem ipse comitatus sit, verba faciens (fol. 12ᵛ *etenim aliquando regem maximum comitabar. dum igitur cum eo ex Braqua in Asiam proficiscimur comitantibus regem exercitibus et navibus, vir iste se iis adiunxit* etc.) Hadrianum neque appellat neque mortuum esse significat, suadere mihi videtur, ut eum hoc regnante scripsisse statuamus. dolendum tantum quod nomina locorum in itineribus visorum in unico codice versionis nimis corrupta sunt quam ut ex iis aetatis indicium capi possit. neve hanc meam de tempore operis opinionem propterea

deserendam esse putes, quod Favorinus, qui, si Gellio XIV, 2, 11 fides habenda est[1]), etiam anno 155 vivus fuit[2]), iam mortuus sit, cum Polemo opus scriberet. hoc enim qui ex temporibus imperfectis colligeret quibus in Favorini descriptione usus est fol. 18[r] *(libidinosus et dissolutus supra omnem modum erat; nam oculi eius e pessimorum hominum genere, nimirum illi descriptioni similes erant* etc.), frustra esset. neglegeret enim verba quae antecedunt: *nescio autem an huius generis virum invenerim praeter unum qui fuit e terra quae Celtarum adpellatur*, quibuscum conveniunt quae sequuntur: *inter mortales universos adspectum neque ei similem neque similem oculis eius unquam antea habui.*

Iam ut ad versionem arabicam transeamus, unicum nunc est eius textus fundamentum codex Leidensis 1206 (198) a Golio ex Oriente advectus[3]), Damasci mense Novembri anni 1356 exaratus teste subscriptione quae est in folio ultimo (cf. p. 294): *Explicit liber physiognomoniae cum dei summi laude. scribendi eum finis*

1) Quamquam hoc dissuadere potest Suidas s. v. Φαβωρῖνος γεγονὼς ἐπὶ Τραιανοῦ τοῦ Καίσαρος καὶ παρατείνας μέχρι τῶν Ἀδριανοῦ χρόνων τοῦ βασιλέως.

2) Cf. Friedlaender, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms III, 501[6]. Ruhdolph, de fontibus Aeliani in var. hist. Leipz. Stud. VII, 108.

3) Cf. Catal. var. libr. quos ex Oriente advexit Golius p. 19. Catal. libr. univ. Leid. p. 461 n. 1286. Catal. codd. Orient. bibl. acad. Lugd. III p. 165.

contigit Damasci in urbe munitissima quam deus tueatur, Lunae die octava mensis Ramadani magnificentissimi anno septingentesimo quinquagesimo septimo.[1]) *Laus deo summo soli! scripsit eum servus dei summi indigentissimus Abdallâh filius Sulaimâni filii Al-Raiḥânî* (?) *Mauṣilensis, cui deus ignoscat.* opusculum inscriptum 'liber Aflimuni de physiognomonia' et in LXX capita digestum primis 50 foliis codicis formae quartae minoris, quorum unum non numeratum est, continetur. summa benevolentia Guilelmi Nicolai Du Rieu et Michaelis Iani de Goeje, interpretis legati Warneriani, factum est, ut codex bis mihi transmitteretur, anno 1872 Vratislaviam, 1884 Kiliam. ac priore anno, cum ipse linguae arabicae ignarus essem, ab Augusto Schmoelders, viro insignis humanitatis, qui interea morte lugenda nobis abreptus est, versionem vernaculam impetravi, anno autem 1884 Georgius Hoffmannus amicus et horum studiorum adiutor paratissimus, cui nunquam satis gratiam habere potero, codicem descripsit, verba corrupta emendavit, denique laborem textus edendi et vertendi in se suscepit.

Scriptura quidem codicis clara, textus vero ipse valde corruptus atque e parte mancus est. et pleraque sane librarii neglegentia pessumdedit, sed nonnulla interpres ipse vel omisit, ut prooemium[2]), vel corrupta invenit, ut verba fol. 25^{v} *pulcris manuum et pedum extremis* etc., vel male intellexit, velut ἀτενεῖς

1) Signum numeri *septimo* non ex omni parte certum est; Hoffmannus et Schmoeldersius aeque prius in eo *primo* dispicere sibi visi sunt.

2) Cf. infra p. LXXXIX sq. et CV.

vocem fol. 12ᵛ, *ἐπιπλεῖον* fol. 26ᵛ, quam per *magnos* reddidit, *μιαρίαν* fol. 31ᵛ et 33ᵛ, quam per *irrisionem*, *κακοήθη* fol. 31ᵛ, quam per *malam consuetudinem*, *πιθήκων* fol. 28ᵛ, quam per *vulpium* (*ἀλωπήκων*), *ἐφιστάμενος* fol. 42ʳ, quam per *gnarus* (*ἐπιστάμενος*), *νωθεῖς* fol. 6ᵛ, quam per *liberos spurios* (*νόθους*), *ἄναρθροι* fol. 30ᵛ, quam per *sine rectitudine* (*ἄνορθοι*) reddidit, unde simul patet eum e graeco exemplari, non e syriaca interpretatione[1]) vertisse. semel (fol. 39ᵛ) pro *Σκύθαις* et *Κελτοῖς Sclabos* et *Turcos* ponere non reformidavit.

Inde quod fol. 33ʳ *κήτη* per '*crocodilos maris*', quod Arabes Nilum appellant, reddidit, Aegyptium eum fuisse vix colligi posse Hoffmannus adnotavit (cf. tamen eundem ad p. 236, 18).

Quando versio orta sit, certo definire nondum queo. laudem qua Polemo eiusque opusculum apud Arabes florebat iam vetustam fuisse auctores sunt Iaqubius (circa annum 875) qui in chronico: *eorum* (philoso-

---

1) Syriacae versionis mentio facta est a Gregorio Abul-Pharagio (1226—1286) hist. dynast. p. 86 et 56 ed. et lat. vers. ab Eduardo Pocockio, Oxonii 1663: *porro e sapientibus Hippocrati coaevis fuit Philemon, qui speciem quandam Philosophiae naturalis, viz. Physiognomicam, callebat, qua conspecto homine ex compositione membrorum de moribus eius iudicium ferret. est illi hoc in genere liber, cuius exemplar apud nos lingua Syriaca extat,* quamquam utrum nostri an pseudepigraphi opusculi versio fuerit, in incerto relinquendum. codex nondum meam in notitiam venit. Versionis hebraicae memoria exstat, ut nuper Georgius Hoffmannus mihi scripsit, in lexico syriaco Abulhasani bar Bahlûl, qui circa annum 963 floruit (Payne-Smith, thesaurus Syriacus 3067): '*Physiognomonica Phîlîmôn[is]' in exemplari [aliquo] i. e. liber hebraice, 'liber physiognomoniae Philimonis. liber physiognomoniae*', nisi pro voce *hebraice* legendum est *graece* vel *syriace*, qua de re Hoffmannus dubitat.

phorum), inquit, *Polemo, artifex physiognomoniae et (auctor) scripti quo monstrat, quid physiognomonia de moribus, qualitatibus et praestantiis significet et documentum huius rei praebet*[1]), et Abulpharagius Muhammedus Ibn Isḥâq qui in opere inscripto Kitâb al-Fihrist (circa annum 987) '*Polemonem et Aristoteli suppositam physiognomoniam*' laudat (p. 314 ed. Fluegel cum nota II, 155), et Abu Gaʿfar Ibn el-Gezzâr, item auctor saeculi X, qui in opere inscripto 'Zâd al-Moçâfir' lib. VI cap. 1 (cod. Dresd. arab. E 209 fol. 218v) locum de cupidinis excitandae ratione e Polemone 'physiognomoniae auctore' citavit, qui tamen in nostro opere non reperitur nec omnino quicquam cum physiognomonia habet, sed videtur fluxisse ex opere inscripto 'Kitâb al-bâh wasanwâʿih' (libro concubitus et specierum eius e compositione Polemonis philosophi), cuius codex in bibliotheca Audientiae urbis Granadae exstat.[2])

Utrum omnes hi auctores nostram versionem noverint, plane incertum neque plus colligendum est e loco lexici ab Ibn El-Qifṭio (qui mortuus est die 30 mensis Decembris anni 1248) ante annum 1236

1) Cf. Klamroth, Zeitschrift der deutschen morgenlaendischen Gesellschaft XLI, 419. locum e commentario arabico ad Apocalypsin qui in codice arab. Paris. 23 (ant.) inest fol. 65v (*ex hoc scientiam physiognomoniae derivaverunt et peritissimi eius Fîlîmûn et Aristu vel alii fuerunt*) promptum de Arist. quae feruntur secretis secretorum p. 21 protuli. errore autem continetur quod Leclerc, histoire de la médecine arabe I, 216 *Philémon*, inquit, *est fréquemment cité dans un écrit du même genre, qui existe à Paris, nº 963, suppl.*, ut Hartvicus Derenbourg mihi scripsit.

2) Cf. Dozy, Zeitschr. der deutschen morgenlaend. Ges. XXXVI, 342.

compositi et per epitomam Zauzani sub titulo Târîch el-hukamâ nobis servati[1]), quo physiognomonia Polemonis laudatur.[2])

Sed certe ea a Damasceno illo, qui anno 1256 natus et 1327 mortuus est, de quo supra p. XXVI verba feci, in 'libro rectionis de scientia physiognomoniae' usurpata est cum in plerisque tum in animalium physiognomonia (cap. 4).

Is autem in hac re tam neglegenter tamque libere versatus est non solum verbis, sed etiam ordine et rebus mutandis, ut ad textus formam genuinam restituendam fere nihil conferat, praesertim cum haud raro etiam eadem quae codex Leidensis vitia praebeat.

Quod ut appareat, nonnullis locis textum versionis Leidensem, cui physiognomonia latina et Adamantius fidem addunt, cum iis quae Damascenus e Polemone protulit conferam:

Leid.	Damasc. cap. 9 (ed. Cairi 1882 p. 22)
	Si supercilia directe coniuncta sunt, hoc effeminationem et languorem indicat; et si praeterea infra nasum versus impendent, acumen, animae subtilitatem pulchrosque mores indicant, et si praeterea quod cum ca-

1) Cf. Aug. Mueller, Actes du 8e Congrès International des Orientalistes, Leide 1890 p. 17—33.

2) Cf. Chwolsohn, die Ssabier II, 269. Fluegel, Fihrist II, 155.

Leid. cap. 48 fol. 40^{v}

Superciliorum capillus si tam longus est ut ad frontis latera et tempora pertingant, multam cupidinem et porcorum naturas indicat. si supercilii capillus valde densus est, maerorem et tristitiam denotat. sed equidem moderatum in omnibus condicionibus laudo.

Damasc. cap. 9

pillo coniuncta sunt, tempora versus pendent, suspicionem indicant, amorem ludi et ioci et insolentiae et irrisionis hominum. supercilium quod alte ad frontem se erigit nasum versus et quod tempora versus se demittit, amorem caedis, sanguinis effundendi malamque intellegentiam indicat.

c. 26 fol. 34^{r}

Rotunditati et latae eius (*nasi*) *aperturae stupiditatem adiudicato.*

p. 29, 13

Inflatio et amplitudo narium iram et asperitatem (vel *fastum*) *indicat.*

c. 23 fol. 32^{r}

Brevitas et crassities colli fortitudinem corporis, sed timiditatem in animo significat.

p. 32, 26

Breve crassum collum aggressionem et audaciam significat.

c. 23 fol. 32^{r}

Si in gutture spondylum e ceteris faucibus prominentem vides, parum gravitatis in eius possessore notat, et

p. 33, 4

Prominentia gutturis malam suspicionem et malitiam significat.

Leid. cap. 48 fol. 40^{v}	Damasc. cap. 9
invenis eum avide oculos in omnem rem tollentem et vino cum primum bibit vehementissime deditum, ac praeterea ei iracundia et vehementissima tristitia inest.	
c. 52 fol. 43^{v}	p. 38, 26
Si eum ronchantem vides, tamquam si eius vox infra nares exeat, ei mendacii studium, multam invidiam et aviditatem sodalibus nocendi tribuas. quodsi his etiam debilitatem vocis addit, tuum de eo iudicium auge vehementi iracundia et rixae et altercationis amore.	*Debilis ronchans vox insidias et oppressionem significat.*

Cavebis igitur Damasceno fidem habere quae a versione Leidensi absunt ad Polemonem referenti, ut p. 32, 19 *ut scutum, concava facies cum parvis dentibus parvoque naso cupidinem caedis et pugnae et venationis indicat*; p. 24, 16 *pupilla circulo, cuius color ab ipsa diversus est circumdata garrulitatem, invidiam malitiamque indicat*; p. 20, 15 *rugositas cutis capitis protervitatem et impudentiam indicat.*

Nec vero Damascenum versionem ipsam, sed tantum epitomam eius usurpasse patefit e consensu quodam singulari qui in nonnullis inter ipsum et epitomam

cernitur servatam codice bibliothecae Constantinopoli a Sultano Osmano III ad templum Nûrî Osmânî appellatum anno 1755 conditae, de quo iam pluribus agendum est. quem postquam exstare e catalogo huius bibliothecae a Fluegelio (Hâdschî Chalfa VII p. 297) edito per Hoffmannum certior factus sum, ut adiret anno 1889 facile a Carolo Langio, viro doctissimo et humanissimo, impetravi. quae is vel ipse exscripsit vel ab alio exscripta mihi transmisit, ea Hoffmannus vertit.

Codex qui numerum 1957 habet et e 135 chartis folii minoris formam habentibus beneque ita exaratis constat ut vocales constanter positae sint et unaquaeque pagina novem tantum lineas contineat, legato debetur Imperatoris post excidium noni Osmani Ibn Mustafâ (1026—1031 post hegiram = 1648—1653 p. Chr.), ut inscriptio cum sigillo in fronte codicis posita testatur.

Initium hoc est: *In nomine Dei misericordis Raḥmân.*

Hic est liber Fulaimûnis quem de physiognomonia scripsit. postquam res inter se cohaerentes observavit, hunc librum scripsit de discretione hominum et separatione eorum secundum consensionem et differentiam figurarum. huius rei indicium externum proposuit, quo documento ad cognitionem classium (vel *morum?*) *uteretur. dicunt eum, cum illud finivisset, populo sese exhibuisse, ut homines eum examinarent. de hac re discipuli Hippocratis (Buqrâṭ) certiores facti sunt et nonnulli eorum venerunt, ut rem detegerent. ille autem suam unicuique eorum naturam ex eo quod de figura eius videbat enarrare coepit. iam cum historia de eo usque ad Hippocratem*

veniret, is ullam creaturam hoc assequi posse negavit atque deinde suam imaginem ei misit. cum huius lineamenta examinasset, etsi personam ipsam ignoravit, lascivior, inquit, quam quem haec imago repraesentat reperiri non potest. quod ubi discipuli Hippocratis audiverunt, eum incessiverunt, ut ferirent. is autem, quid est, inquit, quod in dicto meo exprobretis? ducite me ad virum; enarrabo ei, quae negare non poterit. iam cum eo ad illum iverunt et dixerunt: o magister sapientium, hic aliquid de te dicit, quod tibi eloqui non possumus. ille, quidnam, inquit, dicit? responderunt: dicit non esse lasciviorem quam te. tum Hippocrates, cum iudicio, inquit, accipere pulchrius est quam cum stultitia obloqui, ad Fulaimûnem accessit et unde, inquit, id dixisti, false professor? quae est tua excusatio? Fulaimûn respondit: quod mea physiognomonica examinatio imaginis docuit et in quo tantum aspectu confirmatus sum, cum te ipsum viderem — res ipsa optime (vel *etiam melius*) *eloquitur — signa lasciviae in te clara sunt et imago lasciviae te circumdat. si eam reiecisti, tua intellegentia factum est. si te vicit, consentaneum erat, ut te vinceret. iam Hippocrates respondit: nec sententia mentitus es nec verum dixisti affirmatione (conclusione). cupido, Fulaimûn, sane magna est, sed taetrum longe abest. noli scientiam tuam coniectura probare et physiognomoniam tuam ut aliquid certi proponere; nam coniectura haud rarius aberrat quam propositum assequitur.*

Cum Fulaimûn omnem diligentiam in scientia physiognomoniae consumpsisset ductibus oculorum in omnibus statibus, figuris, coloribus, moribus, masculino et feminino operam dans, hunc librum de physiognomonia scripsit

eoque indicia constituit, secundum quae inter homines de naturis et moribus discrevit.

Cum omnia tum narratiuncula, quam propter formam a reliquis[1]) paululum dissonam hoc loco plenam exhibendam esse censui, digito monstrant hoc prooemium a Polemonis opere genuino alienum esse, neque quicquam nos ad id accuratius cognoscendum ex hac scriptione lucraremur, si reliqua eiusdem essent farinae. at aliter res se habet. sequuntur enim quae sine dubio ex illo fluxerint, etsi neque directe neque pure. excerpta enim sunt e versione Polemonis iam non genuina, sed interpolata neque ordo illius servatus est. exempla plane desunt.

Quod maxime perspicuum fore confido, si quae libello continentur, quoad penes me sunt, capitulatim attingam, quae autem gravissima sunt ad propositum demonstrandum, ad verbum reddam.

Iis quae supra e prooemio protulimus post spatium trium paginarum haec succedunt pag. 9, 4:

Iam eius sermonis initium erat, ut diceret: homines partim prudentes, partim stulti, partim pii, partim scelesti, partim fortes, partim debiles sunt; quod hoc monstrat signum continetur actionibus. axis actionum duplex est, nativum et fictum. utrumque eorum habet testimonia quae indicent, priusquam eluceat, aeque atque indicia quae id probent, dum apparet. perfectissima autem huius rei cognitio continetur pulchra conclusione (analogia). radix conclusionis in scientia huius rei duas rationes habet: altera ad id pertinet quod apparentia naturae demonstrat, altera ad fictionem. perspectio na-

1) Cf. supra p. X not. 1.

turae est in physiognomonia secundum figuram, priusquam actio exsistat. perspectio ficti continetur reputatione intellectus. signa utriusque rationis colligam (vel potius: *explicabo*).

Fictio igitur est tegumentum quod intellectus conficit et naturae inicit, quo actiones suas occultet; sine quo uniuscuiusque actio in natura sua appareret eiusque condiciones ex eius adspectu perspicuae essent, ut mores et actiones animalium specie eorum et figuris perspicua sunt, cum in iis nulla fictio sit, qua mores suos occultent. iam qui non multum intellectus habet, in eo natura praeponderat usque adeo ut animali par sit, atque facillimum est eum cognoscere. revera plerique acutorum mores parvo intellectu praeditorum cognoscunt, quia nihil in iis est, quod consilium occultet. indicia tibi et signa physiognomoniae aeque atque rationes, quibus colligitur, exponam.

Scias physiognomoniam non uno signo neque una ratione percipi; nam physiognomonia tribus principiis circumcurrit. quorum primum est cognitio figurarum secundum similes animalium; quorum secundum cognitio figurae masculini et feminini; quorum tertium cognitio naturarum e motu artuum et inde quod quisque homo secundum modum agendi animalis ei similis agit.

Scias similitudinem quae in homine cum variis animalibus est non uno genere exclusis reliquis generibus parvorum vel magnorum animalium circumscribi, sed vel ad vespas, muscas, formiculas et similia pertinere.

In his Polemoniana[1]) dispiciuntur, sed ita deformata atque depravata, vix ut agnosci possint. iam com-

1) Cf. p. CV et CVI.

pares sententiam paenultimam (*Scias physiognomoniam — similis agit*) cum Damasceno (cap. 6 p. 11): *Polemo et Aristoteles ambo dixerunt scientiam physiognomoniae tribus principiis circummoveri, ut exponimus: primum cognitio figurarum et similium earum in animalibus; secundum cognitio morum masculini, feminini et utrique analogi; tertium cognitio qualitatum et artuum,* concedes tantam esse vel in pravis similitudinem, ut quin ex eodem fonte hauserint dubitari non queat, quoniam Damascenum ipsa epitoma Constantinopolitana usum esse alio indicio, de quo mox agam, excluditur.

Neque aliter explicari potest, quod, ut epitoma Constantinopolitana (= Co) postquam astrologorum et medicorum de certis condicionibus humanarum qualitatum opiniones recensuit (p. 14—17), omnia ad unum sapientem creatorem ducere asseveravit (p. 21), ita Damascenus verbis quae modo attuli subicit haec: *nam dubitari non potest, quin Deus sublimis motum cuiusque ratione praediti pro eius debilitate et vi interna et alta* (*praevalenti*?) *appetitione creaverit.*

Iam inde a pag. 28, 8 in Co physiognomonia tractatur animalium quae sunt: leo, panthera, ursus, sus, lupus cervarius, lupus, canis, simia, vulpes, cattus (vel mustela), equus, asinus, taurus, aries, caper, vultur, aquila, gyrofalco, gallus, pica, hirundo, ulula, percnopterus, charadrius, pavo, columba, avis aquatica[1]), passer, corvus, serpens, mus, felis. pars est igitur animalium quae Polemo persecutus est, sed multo minor quam apud Damascenum, unde hunc ipsam

1) Quaenam haec sit, nescitur.

epitomam non usurpasse sequitur. ordinem vero quem Polemo praebet sub initium tenuit, mox autem reliquit. noctuam, murem, avem aquaticam ignotam addidit. verum ne ea quidem quae Polemo de animalibus praedicavit usquequaque servavit, sed multa omisit, multa novavit. satis erit haec inter se contulisse

Pol. (fol. 21r sq.)	Co
leo fortis, audax, heros, iracundus, post gravitatem patiens, pudibundus, liberalis, magnanimus, insidiosus.	*leo audax, fortis, consideratus, iracundus, pudibundus, magnanimus, liberalis, patiens.*
panthera impudens, adultera (Damasc. *iactatrix*), *malevola, se occultans, amans necare et vincere eum qui ipsi se opponit, pacata cum pacato, superba, fastosa nec mansueta nec domanda.*	*panthera iactatrix, vilis, fallax, occultans quod in animo est, amans necare.*
lupus audax, perfidus, iniquus, raptor, avidus, iniuriosus, dolosus, auxilium praebens ad iniuriam inferendam, amicum adiuvans.	*lupus iniustus, perfidus, audax, avidus, dolosus* (?).
lupus cervarius pudibundus, familiaris, animi acris, iracundus, superbus, admirans, submissior, vitae commoditatem amans et honorem et victoriam, mali studiosus.	*lupus cervarius irrepens, fortis, sine aviditate edendi.*

Pol. (fol. 21ᵛ)	Co
simia perspicax cum hypocrisi et ignorantia, ludicra, imitatrix, versuta, meretricia.	*simia callida, remissa, meretricia*(?), *iracunda, iocans, ludicra.*
(fol. 23ʳ) *percnopterus debilis, tumultus excitans, mitis indolis, maestus, tristis, vilis animi.*	*percnopterus prudens, debilis animi et hebetis, pronus ad aggrediendum.*
(fol. 21ᵛ) *felis familiaris, ostentatrix, sui admiratrix, amans commoditatis, alacris, avida, fraudulenta, speculatrix, amicam se praebens hominibus, loco non homini nisi coacta necessitate adsuescens.*	*felis amplae appetitionis, animi fortis, speculatrix.*

Postquam autem mores animalium talem in modum Co enarravit, physiognomoniam ex iis repetendam p. 32 sq. ita persequitur, ut constanter formula utatur: *si hominem aspexeris, qui — iudica*, veluti: *si hominem aspexeris qui est capite*[1]) *parvo, fronte angusta, oculo acuto, artubus mollibus, collo tenui, pectore angusto, costis tenuibus, podice magno, lateribus levibus, crine molli, iudica eum pantherae aequalem esse, postquam didicisti hunc occultare quod in animo est neque curare quae contra eum veniunt*, qua in re item a Polemone recedit. signa masculini et feminini in leone et panthera exponit p. 50 sq.

Nunc demum ad significationes membrorum cor-

1) Cf. Pol. vers. arab. fol. 26ʳ.

poris describendas, quae tertia pars est operis, transit (p. 55 *de signis et motu artuum compendiose tibi exponam; collige ex iis de moribus*). sed hic quoque ordinem Polemonis dereliquit. nam incipit sane ab oculis (*scias oculos portam esse cordis, per quam appetitiones animae ascendunt, atque hoc propter parvitatem et tenuitatem et coniunctionem cum loco cordis, in quo appetitiones moventur. oculi ambo sunt locus quo appetitus animae perlucet etc.*), sed his subicit deinceps aures, nasum, os, frontem, genas, barbam, mentum, caput, collum, umeros, ventrem, pectus, costas, lacertos, bracchia, manus, tergum, coxas, femora, genua, capillos, colores, spiritum, vocem et loquelam, incessum et motum artuum (membrorum). verum etiam in singulis membris tractandis suas sequitur vias multumque a Polemone discedit. veluti oculorum describendorum hoc initium facit p. 55: *incipimus a descriptione oculorum laudabilium, qui pias appetitiones et pulchros mores, multum consilii, acumen ingenii rectumque intellectum probant. scias optimum oculum esse qui nec magnus nec parvus est nec prominens nec concavus, qui in curru suo quiescit; cuius nigredo non magna est, cuius cilia non gravia sunt, cuius palpebrae non separatae sunt, cuius acies nec tam tenuis est, ut debilis fiat, nec tam grossa, ut pinguis fiat; qui clarus est sine turbatione et purus punctis; cuius palpebrae moderatae sunt, cuius acies ardore micat, cuius venae occultae sunt, cuius obtutus quiescit ita ut non sine intermissione vadat. hac proprietates intellectum indicant, subtilitatem, pudorem, liberalitatem, virilitatem, servationem secreti, praestationem fidei, remotionem avaritiae.* de auribus haec habet:

Pol. c. 29 fol. 35r

De physiognomonia et signis aurium.

Magnitudo aurium rerum incuriam designat; parvitas aurium perfidiam operaque prava occulta prodit. si vero valde parvae quasi praecisae sunt, stupiditatem et stultitiam indicant. auris moderata figura quadrata multam in rebus (gerendis) vigilantiam et robur prodit. ubi auribus quasi duae alae sunt, scientiam et intellegentiam notat. Deficiente hac proprietate eis ...... invidiam ac multam et consuetam malitiam tribue.

Co pag. 83

Nunc post oculos ab auribus incipimus. Sermo de auribus.

Scias in auribus multa indicia esse. aequales sunt oculis in consensu analogiae (conclusionis). nam nimia parvitas oris est inter signa stultitiae, mali consilii, inopiae scientiae, contra magnitudo aurium est inter signa avaritiae, exiguae appetitionis et vilitatis. si vides pilum aurium multum esse, ut incrementum eius longum sit instar arborum, hoc longam vitam indicat.

de capillis

Pol. c. 40 fol. 39r

De capillo et eius signis.

Scias crispos capillos timiditatem et avaritiam indicare, qualem capillorum proprietatem in nationibus et regionibus recognosces.

Co

Explicabo tibi quae in capillo sunt.

Valde crispus capillus mores angustos et timiditatem indicat. rectus capillus malum consilium inopiamque prudentiae indicat.

Pol.	Co
capillus igitur prominens rectus parum intellegentiae et prudentiae designat; sed laudo equidem capillum qui nec valde prominet nec valde flectitur, sed qui mediam rationem obtinet. magna autem capilli densitas similitudinem ferae agrestis refert; contra capilli raritas et separatio dolositatem pravitatemque agendi designat, cum equidem inter utrumque medium capillum laudem. capillus mollis e signis mulierum est, secundum quod iudicato.	*multus capillus simulationem et inopiam intellegentiae indicat. mollis capillus qui non multus nec exiguus est nec rigidus nec tortus, pulchram intellegentiam purumque morem indicat.*

Iam inde a pag. 120, ut apud Polemonem (c. 53 sq.) sequuntur species hominum. e quibus duas hoc loco proferam:

(p. 120) *Si vides virum fronte arta, oculis multum fulgurantibus, dorso frequenter se agitanti, genibus debilibus, saepe in latera et omnes suos artus respicientem, voce clara, multo capitis motu, noli dubitare eum cinaedum esse et laetari eo quod mulieres amant,* in qua nonnulla sane omisit, sed omnia ad unum cinaedum recte rettulit aliter atque codex Leidensis fol. 46ᵛ, in quo verba inde a *genibus debilibus* male speciem novam stulti efficiunt.[1])

1) Cf. infra p. CIV not. 1.

Contra in verbis quae sequuntur: *si vides virum parvos oculos, parvam faciem, tranquillum incessum, acutam vocem, valde rubrum colorem et largum capillum in temporibus habentem, noli dubitare de eius avaritia et inopia boni erga homines* aeque atque codex Leidensis l. l. ad unam avari speciem rettulit, quae sunt duarum specierum (φιλαργύρου et φιλοκύβου), sive quod auctor versionis peccavit, sive quod iam codex quem is usurpavit hoc vitio inquinatus erat.

Finem facit inde a pag. 130 physiognomonia gentilis, quam Polemo inter descriptionem capitis (c. 30) et colorum (c. 35) posuit, atque haec pars etiam magis quam reliquae aperta interpolationis vestigia prae se fert. conferas enim quae praebet

Pol. Leid. c. 31 fol. 36r et	Co p. 130
Exempli gratia fere non invenies Aegyptiis litterarum praestantiam et perspicacitatem competere; contra inter Macedones perspicacitatem vulgatam esse; pacis autem studium et voluptatem in Phoeniciae et Ciliciae populis reperies; denique Scythiae populos proditores et improbos offendes.	*Nam in nulla regione invenis homines, quin mores eorum communes sint et apud ipsos posterosque praeponderent. Aegyptii sunt neglegentes et astutia carentes homines. apud Berberos prudentia est vulgata et apud mulieres eorum comitas frequens; non multum calliditatis habent Romani; asperi et laboribus dediti homines sunt. Syri sunt neglegentes, candido pectore; Iraquenses (Baby-*

Pol.	Co
	lonii?) proditores et prudentes sunt. Indi sunt neglegentes, fortes, molles. incolae terrae Chorâsânae neglegentes, avari, tenaces fortesque sunt. Sinenses sunt volatici et leves et facile obstupescentes. Iemenenses sunt leves et neglegentes.

Damascenum autem ex eodem quo Co fonte etsi satis libere hausisse hic quoque apertum fit. is enim, *quaevis*, inquit, *gens, sive in vicis sive in una ex urbibus magnis habitat, mores naturamque in ipsa praevalentem habet. apud Aegyptios enim praeponderat ratio, inopia aemulationis* etc. et deinceps persequitur Berberos, Syros, Romanos, Iraquenses, Persas, Indos, Tibetanos, Abyssinios, Nubios, Medos.

In reliquis quae sunt de gentibus septentrionem, meridiem, orientem, occidentem spectantibus Graecis Co fere cum Polemone congruit, sed verba in codice valde corrupta sunt et Graecorum nomen periit (*describam tibi figuram eorum, in quibus mores hominum non puri*(?) *sunt. nam cum talibus sese permiscuerunt, qui ex aliis ad eos venerunt, ut hoc in posteros eorum vim exerceret*).[1]) horum autem descriptionem sequitur epilogus: *haec est summa physiognomoniae, scientiam et prudentiam habenti sufficiens. itaque bene de ea reputes et scias caput in ea esse pulchre*

1) Cf. Pol. c. 35 fol. 37r.

observare atque comparare et praeponderantem similitudinem, quam in quovis primo aspectu percipis, primum documentum et vincens summumque signum morum esse ⟨*prae*⟩ *omnibus reliquis signis physiognomoniae; possessori eorum inter mores qui cum eo similitudinem habent eum tribue, qui in hoc (signo) praeponderans est, et in hoc persevera. ad hoc, si quid deest, adde pro reliquis signis physiognomonicae disquisitionis, quae plura* ⟨*cognosces*⟩.

Atque haec quidem satis sunto ad demonstrandum libellum qui codice Constantinopolitano continetur multa quidem e Polemonis versione arabica sumpsisse, sed non fontem limpidum, nedum libri manuscripti huius instar habendum esse.

Ceterum quomodo in versione arabica codicis Leidensis recensenda et emendanda versatus sit, Georgium Hoffmanum ipsum in praefatione (t. I p. 95 sq.) disserentem adeas.

Restat ut nihil fere cum Polemonis physiognomonia commune habere moneam opusculum quod codice Gothano arabico A. 85 (catal. access. 1757) fol. 23^v usque ad 29^v continetur incipiens a verbis *haec epistula (agit) de scientia physiognomoniae secundum Afîlâmûnem*, etsi Pertschius (catal. codd. arab. Goth. I, 151) id etiam accuratius quam codicem Leidensem vestigia operis Polemoniani premere contendit, verum in plerisque cum physiognomonia pseudaristotelica concinere. sed de hoc libello (t. II p. 147—160) infra capite V pluribus agendum erit.

III.

Etsi autem versio arabica fons est potissimus, e quo cognitionem operis Polemoniani hauriamus, tamen non solum ad verba illius, si qua corrupta sunt, corrigenda, verum etiam ad huius formam genuinam recuperandam plurimum adiuvamur paraphrasi operis quam fecit Adamantius.

Quando is fuerit, non ita facile ad disceptandum est. Fabricius (bibl. gr. II, 171; 324 ed. Harles) auctorem fuisse coniecit Alexandrinum illum *ἰατρικῶν λόγων σοφιστήν*, qui anno 415 a Cyrillo patriarcha Alexandria expulsus est, mox autem revertit teste Socrate hist. eccl. VII, 13 *καὶ ἄλλοι ἀλλαχοῦ διεσπάρησαν, Ἀδαμάντιος δὲ ἰατρικῶν λόγων σοφιστὴς ἐπὶ τὴν Κωνσταντινούπολιν ὁρμήσας καὶ τῷ ἐπισκόπῳ προσφυγὼν Ἀττικῷ ἐπαγγειλάμενός τε χριστιανίζειν αὖθις ὑστέρῳ χρόνῳ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ᾤκησεν.* sed is fuit Iudaeus et *ἐπαγγειλάμενος χριστιανίζειν* ab Attico episcopo Constantinopolis veniam reditus impetravit. auctor autem physiognomoniae *θρησκείᾳ* ethnicae deditus erat, ut elucet e verbis prooemii lib. I § 1 *τὴν φυσιογνωμονικὴν μέθοδον ἀπό τε Ἀριστοτέλους ἀναλεξάμενος καὶ ταύτην ⟨ἐκ Πολέμωνος⟩ ἐπὶ πλέον ἢ ἐξ ἄλλων ἐρανισάμενος αὐτοῖς τε τοῖς ἔργοις ἐπιτυγχάνων τῶν ἀνθρώπων ἐγγυμνασάμενος ἔγνων χρῆναι*

καθάπερ σηκοῖς ἱεροῖς ὡς ἄγαλμα σεμνὸν ἐνιδρῦσαι τοῖς γράμμασι μέγα τοῖς μεθ' ἡμᾶς ἐσόμενον ὄφελος. magis probari potest opinio Rosii (Anecd. I, 25), qui eum non diversum fuisse statuit ab illo qui *περὶ ἀνέμων* scripsit. physiognomon sane, ut nullum a se conscriptum opus ediderit, ita se etiam hoc, quod *τῷ χρόνῳ* i. e. sero, aetate provectus confecerit, apud se retenturum vel posteris reservaturum fuisse dicit, nisi Constantius amicus petivisset, ut secum communicaret (l. l. § 1 *διὸ παραφράσαι μὲν τὰ Πολέμωνος εἱλόμην τῷ κοινῷ τῆς λέξεως κέρδος κοινὸν τοῖς ἐντευξομένοις περιποιούμενος προσθεῖναί τε καὶ τὰ πρὸς ἡμῶν γνωσθέντα τῇ διδασκαλίᾳ, τῷ χρόνῳ δὲ ταῦτα γράψας ἐτήρουν τὴν ἔκδοσιν μετὰ τὸν ἡμέτερον βίον τοῖς φιλολόγοις χρήματα καλὰ παιδείας θησαυριζόμενος. οὔτε γὰρ τῶν ἄλλων τι τῶν ἐκπονηθέντων ἡμῖν προηρούμην ἀγαγεῖν εἰς τὸ μέσον τὴν κατὰ τῶν ζώντων ἐπιβουλὴν ὑφορώμενος ἀπὸ φθόνου μὲν φυομένην, οὐχ ἥκιστα δὲ κατὰ τῶν σπουδαίων ἀκολουθεῖν εἰθισμένην. ἐπεὶ δέ, φίλτατε Κωνστάντιε, παρασχεῖν σοι τοῦθ' ἡμᾶς προεκαλέσω τὸ σύγγραμμα, τῷ πόθῳ σου παρακληθεὶς δέδωκα τὴν συγγραφὴν μὴ μελλήσας ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ κατὰ τὸν Ὅμηρον εἰπεῖν. τοσοῦτον ἄρα φιλικὴ χάρις οἶδε μεταθεῖναι κρίσιν βουλήσεως*). iam si auctor libelli *περὶ ἀνέμων* in epilogo fragmenti servati (p. 48, 11 Ros. *ταῦτα οἶμαι αὐτάρκως περὶ ἀνέμων γενέσεως καὶ ὡς ἐνῆν ἐπεστείλαμεν· σὺ δέ, ὦ φίλη κεφαλή, μετ' ἐμμελοῦς ἀναγνώσεως κρῖνε τὰ κείμενα καὶ εἴ τι παρεῖται, δήλωσον ἀσμενέστατα· καὶ γὰρ κἀκεῖνο πληρώσομεν, ἐπεὶ οὐ θέμις διὰ λόγων τὰς σὰς μούσας ὑβρίζεσθαι ἢ κολοβοὺς τὰς φιλικὰς*

ἀπεργάζεσθαι χάριτας. ἐγὼ δὲ τέως τοῦ περὶ ὀνείρων γενέσεως ἄρξομαι γράμματος) dicit sese hanc scriptionem amico mittere et si quid ille omissum deprehenderit, statim completurum, interea autem scriptionem περὶ ὀνείρων γενέσεως incohaturum esse, haec ita inter se conciliari possunt, ut libellus de ventis post physiognomoniam editam scriptus dicatur. quamquam non neglegendum est epilogo non indicari libellum in publicum emissum, sed per epistulam cum amico qui fortasse petiverit communicatum et postea supplendum. atque ut in dictione nihil video quod huic opinioni obstet, ita hiatus vel admissi vel vitati eadem fere in utroque opusculo condicio observari potest.[1]) sed iam saeculo III auctorem fuisse Rosio (l. l. p. 22) credere non possum. ut unum proferam, formula κατὰ τὰ προλαβόντα significans ‘in praecedentibus’ quae legitur de ventis p. 38, 3, num iam apud scriptorem saeculi III reperitur? neque eius quae est simillima ἐν τοῖς προλαβοῦσιν novi exempla ante Nemesium (de nat. hom. p. 113, 9; 331, 7 ed. Matth.)[2]) obvia. sed medio saeculo IV eum inferiorem fuisse nego. nam Oribasius multis locis[3]) synopseos, quae est epitoma ἰατρικῶν συναγωγῶν ad Iulianum imperatorem missarum, remediorum Adamantii, qui quin idem fuerit atque physiognomon ne ego quidem dubito, mentionem fecit, atque uno quidem ex his (VII, 6 ὡς Ἀδαμάντιος ἐθεράπευε) ita ut iam non

---

1) Cf. quae infra p. CVIII sq. exponam, quibus corriguntur quae in commentatione de Polem. phys. p. 4 not. 2 dixi.
2) Cf. Melet. de nat. hom. p. 135, 9 ed. Cram.
3) III, 24, 25, 28, 29, 36; VII, 6.

inter vivos fuisse videatur. neque alius fuit Adamantius, e quo Oribasius de ponderibus et mensuris rettulit II, 59 *περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων. Ἐκ τῶν Ἀδαμαντίου. Πάλιν ὁ ξέστης τοῦ οἴνου ὁ Ἰταλικὸς μέτρῳ μὲν οὐγγίας ἔχει κδ' κτλ.*, quem locum exscripserunt Paulus Aegineta de medic. VII, 26 (= Galen. vol. XIX p. 755 K.)[1]) et tabulae quae dicuntur Oribasianae (fr. 69, 4 ed. Hultsch metrol. scriptt. I, 247) *Ὁ δὲ Ὀρειβάσιός φησι κατὰ Ἀδαμάντιον τὸν ξέστην τὸν Ἰταλικὸν τοῦ οἴνου μέτρῳ μὲν ἔχειν κτλ.*, ubi Hultschius[2]) (p. 84) loci Oribasiani immemor male scripsit *κατὰ Ἀδαμαντίου*, ut qui sibi persuasisset Oribasium, Iuliani archiatrum, librum composuisse contra Adamantium, qui in honore fuerit apud Constantium imperatorem, Iuliani inimicum. at haec propterea statim corruunt, quod opinio qua nituntur, falsa est. quod enim Hultschius posuit Adamantium physiognomoniam Constantio imperatori dedicasse, omnino a vero abhorret. nam nullo pacto is imperatorem verbis *φίλτατε Κωνστάντιε* alloqui potuit.

Est autem, si de indole opusculi quaerimus, epitome potius quam paraphrasis operis Polemoniani, etsi auctor ipse locutione *παραφράσαι τὰ Πολέμωνος εἱλόμην τῷ κοινῷ τῆς λέξεως* usus est. nam primum plane omisit et exempla quibus Polemo placita sua illustraverat et quattuor species hominum ultimo loco ab illo propositas, ut quae minus *ἀξιόλογοι* ei viderentur. dicit enim II § 43 *ὅρους δὲ εἰδῶν ἀν-*

---

1) Cf. Rose l. l. p. 24.
2) Quem secutus est Pernice Mus. Rhen. XLIV, 568.

θρώπων ὑποδεῖξαι ἀναγκαῖον οὐ πάντας, ἀλλ' ὅσοι ἀξιόλογοι αὐτῶν· ἀπὸ γὰρ τούτων οὐ χαλεπὸν καὶ τὰ λοιπὰ γινώσκειν. quae sunt: *species viri vitae fini sine morbo externo propinqui* (c. 67), *viri cui malum et afflictio imminet inscio* (c. 68), *mulierum in viros peregrinos amoris* (c. 69), *viri qui de calamitatibus magnis ante simulatorem egit quam ulla earum ipsi accidat* (c. 70). deinde caput quod est de vi signorum extra oculos positorum, quo primum caput in versione arabica finitur, et caput de ratione physiognomonica ex animalibus et generibus masculino et feminino capienda, quod est secundum, valde decurtavit lib. II § 1 et 2. denique etiam in ordine ab illo recessit *περὶ τῶν ἐκ γενετῆς εὐνούχων* (II § 3) non in descriptione oculorum *ἐκπεπετασμένων ξηρῶν μαρμαρυσσόντων,* sed post descriptionem generis masculini et feminini agens. illud enim ipsum quod Favorinus eunuchus pro exemplo talium oculorum erat, Polemonem adduxit, ut discrimen eunuchorum et castratorum in medium proferret (vers. arab. fol. 19r; phys. lat. § 40).[1])

Quae autem addidit — nam *προσθεῖναί τε καὶ τὰ πρὸς ἡμῶν γνωσθέντα τῇ διδασκαλίᾳ* gloriantem eum modo (p. CI) audivimus — ea fere ad nihilum redeunt. quae enim primo quidem obtutu arridere possit opinio, quidquid in versione arabica desit Adamantianum esse, accuratius examinanti stare non potest. nam etiam

1) Contra vestigia Polemonis pressit speciem *πικροῦ* (II § 53) inter *ἀνδρόγυνον* et *πρᾶον* praebens aeque atque phys. lat. § 99; nam in codice Leidensi fol. 46v, ut supra p. XCVI adnotavi, ordo temeratus est, cum finis speciei androgyni (c. 65) atque cum hoc species amari (c. 66) ab initio speciei androgyni (c. 61) separata sint.

in hac nonnulla deesse iam supra p. LXXXI dixi. atque ut a gravissimo incipiam, Polemonis opus ut in versione arabica statim ab oculorum descriptione exordium fecisse et prooemio caruisse cum per se incredibile sit, tum quae Adamantius, postquam de sui opusculi consilio locutus est (I § 1), inde a § 2 usque ad finem § 4 de physiognomonia praefatur, maxime idoneum efficiunt prooemium, cuius in fine verbis (p. 305, 9) **τὰ δὲ πολλὰ τῶν σημείων καὶ τὰ σύνολα τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐνίδρυται, καὶ ὥσπερ διὰ πυλῶν, τούτων ἡ ψυχὴ διαφαίνεται. δεῖ δὲ ἀκριβῶς τε καὶ λεπτῶς ὁρᾶν τε καὶ καταμετρεῖν τὰ ὄντα ἐν αὐτοῖς σημεῖα** huius ipsius rei ratio redditur, cur ab oculis exordium fiat. et cum Adamantium, quem in reliquis nihil nisi vestigia Polemonis **δουλοπρεπῶς** prementem videmus, merae signorum et formarum expositioni tam aptum prooemium excogitasse haud facile quisquam crediderit, tum multa in hoc sunt, quae certo Polemoni vindicari possint et epitoma Constantinopolitana et physiognomonia latina, ut ipsa illa sententia **ὥσπερ διὰ πυλῶν, τούτων (τῶν ὀφθαλμῶν) ἡ ψυχὴ διαφαίνεται** (epit. Const. p. 55 cf. supra p. XCIV; phys. lat. § 10 t. II p. 17, 1 *hos (oculos) tanquam fores animae videri volunt*); Ad. § 3 **τῶν δὲ σημείων αἱροῦ τὰ μέγιστα καὶ δοκιμώτατα καὶ ἄλλοις ἄλλων μᾶλλον πείθου· ἄλλα γὰρ ἄλλων δυνάμει προέχει** (phys. lat. p. 16, 8 *pronuntiandum quidem secundum ea quae vel plura sunt vel clariora vel potiora. nam multa paucis praeponenda sunt, clara obscuris, potiora minoribus*); Ad. § 4 p. 305, 13 **μικρὰ γὰρ ὄντα μεγάλας ἔχει διαφοράς** (phys. lat. § 11 p. 18, 10 *parva etenim haec magna sunt et effectus vehementes habent*); ib. **χρὴ μέντοι μὴ**

προλέγειν τοῦτον ὃν μέλλεις φυσιογνωμονεῖν, ἵνα μὴ κατασκευάσῃ ἑαυτὸν μετασχηματίζων καὶ ταράξῃ τὰ σημεῖα (phys. lat. l. l. p. 19, 12 *ex improviso nec praecaventem aut se praemunientem considerabit, quamvis et praecaventem attentus artifex detegat*). si autem etiam rudera, quae epitoma Constantinopolitana e 'sermonis initio' protulit (cf. p. LXXXIX)[1]), revera e prooemio Polemonis sumpta sunt, Adamantium vel hoc decurtasse consequitur. sed etiam nonnulla e signorum descriptione quae in codice Leidensi desunt, apud Adamantium autem exstant, non ab hoc addita, sed culpa sive interpretis Arabis sive librarii illius codicis omissa esse hac re certum fit, quod physiognomonia latina ea praebet. locos tales de Polem. phys. p. 5 congessi, quibus nunc addatur Adam. II § 28 p. 379, 7 *προσώπῳ δὲ μάλιστα ἐπιφαίνεται μεγαλοπρέπεια καὶ ἀνελευθερία καὶ ⟨εὐήθεια καὶ⟩ κακοήθεια. ἔστι γὰρ ⟨ἱλαρὸν?⟩ καὶ ἀνιαρὸν πρόσωπον καὶ σπουδῆς πλῆρες καὶ παιδιᾶς καὶ εὐμειδές τε καὶ ἀμειδὲς καὶ ὀδυρτικὸν καὶ ὑπνηλὸν καὶ ἐγρήγορον, καὶ τὰ ἄλλα ὡς ἔχει φύσεως εὖ μάλα φαίνεται* conferendus cum phys. lat. § 50 p. 69, 9 *palam est autem pervidere tristem vultum et laetum, item liberalem atque obscurum et malignum discernere, item pervigilem et eum qui somno est deditus.*

---

1) Cum verbis: *iam qui non multum intellectus habet, in eo natura praeponderat usque adeo ut animali par sit, atque facillimum est eum cognoscere* confer phys. lat. § 132 p. 144, 11 *frequenter evenit, ut multiforme sit unius hominis ingenium, animalia autem simplicia, nuda atque incauta sunt et naturam suam singula in promptu habent*, quae olim (Mus. Rhen. XLIII, 508 sq.) cognitionis epitomae Constantinopolitanae expers ad Loxum referenda esse opinatus sum.

denique vel hoc ambiguum est, utrum hos tres locos Adamantius addiderit: I § 8 p. 315, 1 *ἀνάλκιδες γάρ εἰσι κατὰ τοὺς λαγωούς*; I § 19 p. 341, 3 *χαυνούμενος μέντοι ἐπαίνοις καὶ τιμαῖς, πειθόμενος δὲ καὶ δώροις*; II § 31 p. 385, 1—7 *ὡς γὰρ ἐν βραχεῖ δηλῶσαι — τὰ ἤθη παρεχομένους.* nam primo et tertio loco cum in physiognomonia latina non solum verba quae laudavi, sed tota de oculis variis et de regionum diversitate capita, quae sunt apud Adamantium I § 8 p. 314, 5 *οἷς δὲ αἰόλοι ὀφθαλμοὶ — οἷς τὸ εἶδος* et II § 31 p. 382, 6 *οὐκ αὐτοτελῆ εἰς τὸ φυσιογνωμονῆσαι* — p. 386, 7 *ἐθνῶν τὸ Ἑλληνικόν*, desint, verba interpretis Arabis culpa omissa esse possunt, et secundo loco cum in physiognomonia latina § 39 p. 56, 13 post *extolluntur, insaniam* plura exciderint, de verbis lacuna abreptis cogitari potest.[1])

Sed ne in forma quidem Adamantius multum ab exemplari discessisse videtur. sententia integra operis Polemoniani quae ad nos pervenit *ὀφθαλμοὶ ὑγροὶ λάμποντες ὡς λιβάδες ἤθη χρηστὰ ἐκφαίνουσιν* (cf. p. LXXVI) cum Adamantio I § 5 p. 305, 17 plane consentit, nisi quod is pro *ἐκφαίνουσιν*, verbo magis poetico, vulgare *φαίνουσι* adhibuit. et si elocutionem Adamantii cum versionibus arabica et latina contulerimus, exigua apparet differentia. videtur igitur opera ab eo *τῷ παραφράσαι τῷ κοινῷ τῆς λέξεως* impensa fere in vocabulis remotis nimiumque elatis cum communibus vel usitatioribus mutandis acquievisse. veluti, ut e physiognomonia latina (§ 104 et 61, p. 126, 6 et 83, 8) discimus,

1) Verba II § 51 p. 415, 2 *κινεῖται δὲ ὥσπερ οἱ ὑπέρινοι* quae de Polem. phys. p. 5 et 8 ab Adamantio addita esse dixi, etiam in versione arabica (c. 60 fol. 46r), etsi mendose exstare postea intellexi.

pro *μωροβλάπται* dixit II § 58 p. 420, 3 *μωροπόνηροι*, pro *διηρθρωμένα* II § 15 p. 362, 6 *ἀρθρώδη*, sed retinuit II § 25 p. 375, 10 *διηρθρῶσθαι* (cf. phys. lat. § 51 p. 70, 8). sed multo maior est numerus vocabulorum quae servavit, non solum partium corporis, ut *κνήμη*, *ὀσφύς*, *ἰσχίον*, *μετάφρενον*, vel terminorum technicorum, ut *ὑγρός* (phys. lat. § 54 p. 74, 7; 100 p. 124, 12 = Adam. II § 21 p. 368, 5 et 52 p. 415, 4), *γοργός* (phys. lat. § 36 p. 52, 12 = Adam. I § 16 p. 332, 3), *παλλόμενοι* (*ὀφθαλμοί* phys. lat. § 33 p. 50, 4 = Adam. I § 14 p. 328, 1), *εἴρων* (phys. lat. § 101 p. 125, 3 sq. = Adam. II § 55 p. 418, 3), *ἀνδρόγυνος* (phys. lat. § 98 p. 123, 3 sq. = Adam. II § 52 p. 415, 4), *ἀποπληξία* (phys. lat. § 23 p. 38, 6 = Adam. I § 7 p. 311, 8), *ἐπιληψία* (phys. lat. § 29 p. 45, 10 = Adam. I § 9 p. 315, 7), sed etiam aliorum, ut *ἀσκαρδάμυκτοι* (phys. lat. § 41 p. 59, 5 = Ad. I § 21 p. 344, 3), *μελάγχλωρος* (phys. lat. § 79 p. 107, 5 = Ad. II § 33 p. 387, 4), *θρασύδειλος* (phys. lat. § 53 p. 74, 1 = Ad. II § 21 p. 368, 1), *ἀλλοπρόσαλλος* (phys. lat. § 73 p. 93, 11 = Ad. II § 37 p. 395, 1), *σεσηρέναι* (phys. lat. § 99 p. 124, 5 = Ad. II § 53 p. 416, 5).

Ceterum ut *σοφιστής* et ipse stilum elegantem sectatus est. hic illic formas ionicas immiscuit, ut *σφέων* genetivum I § 11 p. 320, 4[1]), nominativos in *έες* desinentes *κακοφραδέες* I § 6 p. 309, 1, *ἀρειμανέες* I § 16 p. 332, 4, *πλατέες* II § 4 p. 352, 5; raro formas non contractas, ut *ὀρνιθοειδῆ τε καὶ θηριοειδῆ* et *θηριοειδοῦς* I § 4 p. 304, 12 et 305, 1; consonas *σσ* et *ττ* in *πράσσειν*, *γλῶσσα κτλ.* aequa lance usurpavit.

Hiatum ut vitaret, operam non dedit, sed fere

1) Cf. de Polem. phys. p. 4.

admisit, nisi quod vocalem terminantem in *ἀλλά*, *μετά*, *παρά*, *διά* constanter, in *κατά*, *ἐπί*, *ἀπό* fere constanter, in *τοῦτο*, *ταῦτα*, *ἔστι* nonnunquam elisit, semel (II § 40 p. 400, 1) *ταὐτόν* dixit.

Iam si de ratione qua hic libellus recensendus sit, quaerimus, undecim hi ad nos pervenerunt codices:[1])

1. Marcianus graec. 234 (= M), olim Bessarionis (fol. 1v *Κτῆμα βησσαρίωνος καρδηνάλεως τοῦ τῶν τούσκλων*) membranaceus saeculi XV formae octavae penna crassa non ita dilucide paucis compendiis litterarum scriptus post *πορφυρίου εἰς τὰς ἀριστοτέλους κατηγορίας κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν* (fol. 1—79) et *τὰ θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς* (fol. 83—132) continet inde a fol. 133 *ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικῶν ᾱον* et inde a fol. 142v usque ad fol. 157 *ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικῶν β̄ον*. contuli codicem Venetiis annis 1868 et 1870; de nonnullis lectionibus postmodo sciscitantem me Ioannes Veludo et Carolus Castellani, praefecti bibliothecae Marcianae humanissimi, certiorem fecerunt.

2. Laurentianus LXXI, 30 (= L), membranaceus saeculi XV formae octavae nitide exaratus eadem quae M scripta continet, inter quae inde a fol. 141 *Ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικῶν πρῶτον*, a fol. 152v usque ad 169 *Ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικῶν δεύτερον*. codicem annis 1868 et 1869

1) De his copiosius commentatione 'de Adamantii physiognomonicis recensendis' Philologo vol. XLVI p. 250 sq. inserta egi.

excussi, post me Fridericus de Duhn, qui suam collationem humanissime mihi misit.

3. Parisinus gr. 2119 (= P), chartaceus saeculi XVI formae octavae magis dilucide quam nitide scriptus, olim Mazarinaeus, foliis 32 nihil nisi nostrum libellum continet (fol. 1 *Ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικῶν ᾱ^ον*; fol. 13^v *φυσιογνωμονικῶν β̄^ον*); hic illic vestigia manus secundae non ita multo posterioris correctricis in margine et in textu ipso exhibet. annis 1867 et 1880 eum contuli.

4. Parisinus gr. 1943 (= F), chartaceus formae quam a folio dicunt saeculo XVI ineunte Venetiis bene exaratus, olim Georgii de Silva, episcopi Vaurensis et legati a Francisco I rege Gallorum Venetias missi, post huius mortem (XII April. anni MDXLII) bibliothecam Fonteblandensem ingressus[1]), miscellaneus cum aliis eadem quae M et L continet, inter quae inde a fol. 119 *ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικῶν ᾱ^ον* et a fol. 124 usque ad 131^v *ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικῶν δεύτερον.* manum secundam correctricem expertus est. contuli anno 1871 Vratislaviam missum.

5. Monacensis gr. 583, olim Uffenbachianus (= U), chartaceus formae octavae foliorum 81, anno 1656 ab Hermanno Venio, ut videtur secundum inscriptionem titulo in folio 5 subiectam (*Ἐν Γορκομίῳ ἔτει αχ̄νς*[2]) *ἐν μηνὶ θαργηλιῶνι: Hermannus Venius*), scriptus et

1) Cf. Omont, Catalogues des mss. grecs de Fontainebleau sous François I^er et Henri II p. 66 n. 188 et p. 378 n. 65.

2) Inferius χ e φ correctum et ne ulla maneat dubitatio, alterum χ suprapositum est.

correctus, inde a fol. 35 'ΑΔΑΜΑΝΤΙΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ ΦΥΣΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΩΝ et inde a fol. 49^{v} usque ad fol. 68 ΑΔΑΜΑΝΤΙΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ ΦΥΣΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΩΝ Β' continet.[1]) codicem annis 1867 et 1885 contuli.

Iam sequitur classis codicum qui librum non integrum exhibent, sed verbis II § 36 p. 390, 4 *γλαυκὰ γὰρ τῶν ἀγρίων ζώων τὰ πλείω* desinunt.

6. Vaticanus gr. 1411 = V, olim Fulvii Ursini[2]) (*'ex libris Fulvii Ursini'*) membranaceus formae octavae foliorum 179 saeculi XV miscellaneus continet inde a fol. 259 usque ad 267 *'Αδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικά*, quorum liber secundus inscriptus *φυσιογνωμονία δευτέρα* in folio 263 incipit. contulimus codicem ego anno 1868, post me Hugo Hinckius anno 1870 et Fridericus de Duhn, qui etiam huius collationis usum comiter admodum mihi concessit.

7. Harleianus 6299 (= H), chartaceus formae octavae saeculi XV miscellaneus continet inde a fol. 46 usque ad 58 *ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικά*, quorum liber secundus eundem in modum atque in V inscriptus in folio 52 incipit. contulit codicem meum in usum Iulius Eggeling olim contubernalis Vratislaviensis, nunc professor Edinburgensis, anno 1867, denuo ego anno 1880 et de nonnullis lectionibus

1) Cf. de Polem. phys. p. 20.

2) Idem esse videtur codex inventarii Ursini n. 134: *Libro di varii autori d'Astronomia, di Geometria et di Mathematica con sue figure, scritto in papiro in 4°, coperto di carta pecora* (P. de Nolhac, la bibliothèque de Fulvio Orsini p. 347 et 184). olim fortasse Georgii Vallae fuit, apud quem Venetiis *'Αδαμαντίου φυσιογνωμονίαν* vidit Ianus Lascaris (Centralblatt für Bibliothekswesen I, 383), ut alii codices Ursiniani (cf. de Nolhac p. 167 sq. 342 n. 73).

dubitantem certiorem me fecit, qua solet comitate, E. M. Thompson.

8. Constantinopolitanus bibliothecae imperialis 19 (= K), chartaceus formae duodecimae saeculi XV miscellaneus inde a folio 242 usque ad 265 *ἀδαμαντίωνος σοφιστοῦ φυσιογνωμονικά* continet, quorum liber secundus aeque atque in V et H inscriptus in folio 260[v] incipit et in folio 265 verbis quae modo laudavi *τῶν ἀγρίων ζώων τὰ πλείω* desinit. Kiliam anno 1882 missus a me collatus est.[1])

9. Codex Ambrosianus Q. 13 Sup. (= A), bombycinus formae quartae saeculo XVI dilucide scriptus magna e parte eadem scripta continet quae K, inter quae inde a folio 223 usque ad 242 *ἀδαμαντίωνος σοφιστοῦ φυσιογνωμονικόν*, quorum liber secundus aeque *Φυσιογνωμονία δευτέρα* inscriptus est. codicem anno 1876 Hermannus Jaenicke meum in usum contulit; de nonnullis lectionibus Antonius Ceriani certiorem me fecit.

10. Codex Leidensis Vossianus gr. var. arg. 28 in 4° (= B), olim Burdelotii, deinde Isaaci Vossii[2]), chartaceus saeculi XVI ineuntis foliis 23 nihil nisi *Ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικά* continet, quorum liber secundus inscriptus *φυσιογνωμονία δευτέρα τοῦ αὐτοῦ* in fol. 12[v] incipit. anno 1871 Vratislaviae eum contuli.

---

1) Reliqua quae hoc codice comprehenduntur a me in Philologi vol. XLII p. 167 sq. enarrata sunt. scriptiones quae fol. 142[v] et 321[v] continentur sunt appendix Aeliani ed. Robortell. p. 61 (script. milit. ed. Koechly II, 1 p. 552) et Pselli *περὶ τάξεως* ed. Boisson. (Pselli, de oper. daem., Norimb. 1838) p. 120—124.

2) Cf. Montfaucon, bibl. manuscr. p. 676 n. 2213.

11. Codex Berolinensis Phillippsianus 1576 (=C), primum Pellicerii episcopi Monspeliensis[1]), deinceps Claudii Nauloti Duval Avallonaei secundum inscriptiones folii 3 (*Ταύτην ἀνέγνω Ναυλὼτ ὁ κοιλαδεὺς, ἔτει σωτῆρος χριστοῦ ʼαφογ 1573*) et paginae 90 *ἔτει χῦ ʼαφογ ταύτην βίβλον ἀνέγνω Κλαύδιος ὁ Ναυλωτὸς κοιλαδεὺς, Αὐαλλωναῖός τε καὶ Αἴδουος: Anno Chri 1573 hunc Legens agnovit Librum etc. Cl. Naulot, Etc.*), Collegii Claromontani societatis Iesu Parisiensis (n. 293), Gerardi et Ioannis Meermannorum (n. 286), Thomae Phillippsii (n. 1576), nunc bibliothecae regiae Berolinensis, chartaceus formae quartae saeculi XVI ineuntis, a pagina 53 usque ad 90 *Ἀδαμαντίου σοφιστοῦ φυσιογνωμονικά* continet, quorum liber secundus inscriptus *Φυσιογνωμονία δευτέρα* pag. 73 incipit. manu secunda in margine et voces quae in textu exciderunt et lectiones variae ex altero eiusdem classis codice[2]) appositae sunt. codicem anno 1880 dum penes heredes Thomae Phillippsii in urbe Cheltenham est, examinavi, anno 1888 insigni libera-

---

1) In catalogo codicum graecorum Pellicerii edito ab Omontio (Catalogue des mss. grecs de G. Pelicier, Paris 1886 p. 37; Catalogues des manuscrits grecs de Fontainebleau p. 410) numerum 118 habet. ex hoc quidem codices Pellicerii in bibliothecam Claromontanam transmigrasse olim didici (cf. Mus. Rhen. XL, 453 sq.). reliqua quae hoc codice continentur a me descripta sunt de Polem. phys. p. 20.

2) Documentum huius rei e nota ad ultima verba codicis sumptum quod Philol. XLVI p. 268 proposui iam novo augeri potest. ad *τοῦτον* enim vocabulum quod II § 8 p. 358, 4 *αἱ δὲ πρὸς τούτῳ νευρώδεις* pro *τούτῳ* in codice exstat, manus secunda apposuit: *ἄλλ: τούτω*, quae est lectio alterius classis codicum, cum prior (M) *τούτων* exhibeat.

litate Augusti Wilmannsii Berolino Kiliam missum totum excussi.

Iam si de ratione quae inter hos undecim codices intercedit quaerimus, plerique eorum ad crisin factitandam nullius sunt pretii, quippe qui e superstitibus vel codicibus vel editionibus manaverint. quod valet de codicibus Laurentiano (L) et Parisino olim Fonteblandensi (F), qui in Italia e Marciano (M), de Parisino (P) olim Mazarinaeo, qui e L, de Monacensi (U), qui ex editione Romana anni 1545 (= Ro), de Harleiano (H) et Constantinopolitano (K), qui e Vaticano (V), de Ambrosiano (A), qui e K, de Vossiano (B) et Berolinensi (C), qui per communem fontem hodie deperditum e V fluxerunt: quae omnia commentatione de Adamantii physiognomonicis recensendis (Philol. XLVI, 250 sq.) copiose exposui. duo igitur restant codices, unus integer Marcianus (M), alter truncatus Vaticanus (V).

Ad hos autem accedit tertius, qui hodie quidem iam non exstat, sed per Fridericum Sylburgium nobis notus factus est. hic enim in 'Notatione diversae lectionis', quam physiognomonicorum editioni (Aristotelis varia opuscula, Francofurdi 1587) p. 330 subiecit: *Adamantii*, inquit, *duo habui exemplaria impressa. Romanum scilicet, et Parisiense a Cunr. Neobario editum. Habui etiam tertium calamo exaratum, quod Pompilius Amasaeus, vir doctissimus et humanissimus, ad me Bononia misit*, atque de huius codicis lectionibus accurate rettulit. idem est codex[1]) qui in

1) In incerto relinquendum est, utrum hic codex an Parisinus 2219 (P) an Leidensis Voss. 28 (B) an alius idem sit atque is

'Designatione Librorum Manuscriptorum qui in Bibliotheca Sylburgiana inveniuntur' edita a Rulando in Serapeo vol. XVII p. 234 his verbis describitur: *Codex in quarto Adamantii Sophistae Φυσιογνωμικά.* erravit igitur Rulandus hunc codicem a Sylburgio e bibliotheca Palatina sumptum esse dicens, sed ne Creuzerum (Friderici Sylburgii epistolae quinque ad Paulum Melissum Francof. ad Moen. p. 18) quidem cum codices Sylburgianos Palatinae bibliothecae adiunctos eodem quo illam fato disperiisse coniecit, verum assecutum esse intelleget, qui 'Designationem' cum catalogo codicum Palatinorum Stevensoniano contulerit. mihi quidem maxime probabile est hos codices Sylburgianos una e cladibus Heidelbergae illatis periisse. certe codex in nullo superstitum agnosci potest, ut Philol. XLVI, 269 sq. demonstravi. neque pro parte deperdita haberi potest codicis Parisini gr. 2980, qui, dum unum cum Parisino gr. 2011 corpus efficit, inter *Ἀφθονίου σοφιστοῦ προγυμνάσματα* (fol. 1—27) et epistulas Synesii (*μθ'—νϛ'*) et Libanii (ep. 207 et 1121) (fol. 28—31) et *εἰσαγωγὴν συντετμημένως ἐκτεθεῖσαν καὶ δι' ὀλιγογραφίας εἰσάγουσαν* (fol. 32—35) etiam *τὰ φυσιογνωμονικὰ τοῦ ἀδαμαντίου* continuit teste indice qui in folio averso 65 codicis Parisini 2011 hunc in modum legitur: *Περιέχει ἡ βίβλος αὕτη τὰ προγυμνάσματα τῆς ῥητορικῆς τοῦ ἀφθονίου, τὰ φυσιο-*

---

qui in indice librorum Antonii Eparchi Corcyraei recepto die 15 Februarii anni 1537 et in codice Vaticano gr. 3958 fol. 213 sq. exstante sub numero 85 descriptus est verbis *Ἀδαμαντίνου φιλοσόφου φυσιογνωμονικόν* (Omont, catal. des mss. grecs d'Antoine Eparche, Bibl. de l'École des chartes t. LIII (1892) p. 15).

γνωμονικὰ τοῦ ἀδαμαντίου· εἰσαγωγὴν δι' ὀλιγογραφίας τῆς ἀστρονομίας, ἐπιστολάς συνεσίου σ' καὶ λόγους η' καὶ περὶ ἐνυπνίων τοῦ αὐτοῦ κτλ.[1]) nam hi codices Parisini formae octavae sunt, Sylburgianus autem, quem iam S littera insigniam, in 'Designatione' *in quarto* dicitur.

Iam quoniam codex S aeque atque M totum libellum continet et cum hoc in lectionibus vel pravis modo concinit modo discrepat nonnullasque probas vel quae a vero propius absunt praebet, ex eodem quo M fonte fluxisse censendus est, et quoniam lectionem genuinam modo MS, modo V servaverunt, par fere utriusque classis codicum auctoritas dicatur necesse est: quae accuratius Philol. XLVI, 270 sq. exposui.

Denique editio princeps quae anno MDXL Parisiis prodiit (*Adamantii Sophistae Physiognomonica. Cum privilegio Regis in quinquennium. Parisiis Per Regium in Graecis Typographum MDXL*, qui fuit Conradus Neobarius)[2]) e codice Parisino Fonteblandensi, dum

---

1) Cf. Philol. XLVI, 252 sq.

2) Cf. Maittairii Annales Typogr. T. III P. 1 p. 313. editio Parisiis anno 1556 foras data, quam Franzius physiogn. praef. p. XXII Fabricii bibliotheca gr. II p. 171 (III, 324 Harl.) male usus commemorat, non exstat, sed confusa est cum versione gallica Lebonii Hetropolitani illo anno Parisiis edita (*La Phisionomie d'Adamant sophiste. Interpretée par J. Lebon. A Paris chez Guillaume Guillard 1556*). idem de editione Basileensi anni 1556 a Fabricio l. l. commemorata valet. neque hac occasione data silentio praeterire volo parum accurate Franzium l. l. etiam teutonice versum exstare Adamantium in Trifolio Physiognomonico, quod Norimbergae prodierit. est is liber inscriptus: Höchstfürtreflichstes Chiromantisch= und Physiognomisches Klee=Blat, Bestehend aus drey herrlichen Tractaten und zwar erstlich


Georgii de Silva fuit (cf. p. CX), manavit, ut ipsa testatur inscriptione in tergo folii primi posita: *Proficiscitur hic libellus ex episcopi Vaurensis bibliotheca*; ab hac autem pendent et Basileensis editio (= Ba) (*Adamantii Sophistae Physiognomonicon, id est De Naturae Indiciis cognoscendis Libri duo, per Ianum Cornarium Medicum Physicum Latine conscripti ..... Adamantii etiam exemplar Graecum est adiectum. Per Robertum Winter Basileae, Anno MDXLIIII*), quae anno 1544, et Romana (= Ro), quae ad calcem Aeliani (*ΑΙΛΙΑΝΟΥ ΠΟΙΚΙΛΗΣ ΙΣΤΟΡΙΑΣ, Βιβλία, ΙΔ'. Ἐκ τῶν Ἡρακλείδου περὶ πολιτειῶν ὑπόμνημα:～ Πολέμωνος Φυσιογνωμονικῶν ἐγχειρίδιον:～ Ἀδαμαντίου Σοφιστοῦ Φυσιογνωμονικῶν, Βιβλία β'. Μελάμποδος περὶ Παλμῶν μαντική.～ Περὶ Ἐλαιῶν τοῦ σώματος:～ ΕΝ ΡΩΜΗ, ἔτει ͵αφμε', μηνὶ γαμηλιῶνι:～ Οὐκ ἄνευ Προνομίας:～ Non sine Privilegio.*) Romae mense Ianuario anni 1545 prodiit.[1])

Imaginem igitur viae qua libellus ad nostram aetatem pervenit stemma tibi reddet p. CXVIII expressum.

---

des Kunst-berühmtesten Ronphyle Hand-Wahrsagung; Zum andern; Niclas Spadons Schauplatz der Curiositäten; und dann drittens D. D. Johann Sigmund Eltzholtzens Anthropometrie oder Mefs-Kunst des Menschlichen Körpers, welchen wegen Gleichheit der Materie Dominici de Rubeis Physiognomische Taffeln, Cardani Metoposcopie und Melampus von den Mählern des menschlichen Körpers miteingeruckt usw. — Alles aus dem Frantzösischen, Italiänischen, Lateinischen und Griechischen getreulich übersetzt, auch mit darzu gehörigen Kupffern gezieret, und den curiösen Liebhabern eröffnet und gewiedmet, Durch J. G. D. T. Nürnberg, In Verlegung Johann Ziegers, 1695. nam nihil aliud nisi regulae Adamantii in Tabulis Physiognomicis Rubeisii redditae sunt.

1) Cf. de Polem. phys. p. 20.


x
y
V
M
S
H
K
z
C
B
A
L
F
P
Pa (1540)
Ba (1544)
Ro (1545)
U (1656)

Consensum igitur trium codicum MSV in apparatu critico littera x, codicum MS littera y significavi.

E reliquis codicibus eas tantum lectiones protuli, quae pro emendationibus a librariis profectis habendae essent.

Textus forma quam archetypus codicum praebuit non tot, quot in physiognomonia pseudaristotelica aliisque in scriptoribus, menda corrigenda posteris reliquit. de quibus priusquam disseram, nihil opis ad emendationem redundare moneo e versione latina saeculo XV facta et codice Vaticano lat. 3122 saec. XV fol. 28—42v servata (*Adamantii sophiste physiognomonica*), quae incipit: *Physiognomonicen disciplinam artem ex aristotele sumptam et magis quam ex aliis decerptam et ipsis operibus per hominum comparatam exercitationem oportere censui tanquam sacris inferendam aedibus venerandam imaginem literis mandare, magnae posteris nostris futuram utilitati* et desinit: *in oculis nigredo mansuetiorem: caesius color saeviorem indicat. ferorum enim animalium plurima sunt caesia,* quae verba distichon sequitur: *Qui te Christe colit syncero corde redemptor: Seu niger, aut albus, seu ruber: ille bonus*:~ et *Deo gratias.* nam ex ipso codice V vel huius gemello facta est.[1])

Qui editionem principem fecit vitiorum in codice F, quem secutus est, apertorum magnam partem correxit, pauca, quorum emendatio non in promptu erat, vel mutando vel supplendo amplificavit. quorum indicem Philol. XLVI, 257 sq. dedi. permulta quae

1) Cf. Philol. XLVI, 259 sq.

in hac editione restabant menda Ianus Cornarius in editione Basileensi cum, ut ipse ait[1]), pseudaristotelicae physiognomoniae ope, tum ex suo ingenio praeclare sanavit. qui editionem Romanam curavit Camillus Peruscus nonnulla sane e Pseudopolemonis physiognomonicis correxit, sed in reliquis fere invita Minerva egit, quamvis aliter ipse iudicaverit praef. fol. 2 *Τούτων (Πολέμωνος καὶ Ἀδαμαντίου) μὲν θάτερον ἐξέδωκα, ὅτι διορθώσεως, οὐ μικρᾶς ἐνέδει, θάτερον δὲ, ὅτι ἐνετυπώθη μὲν πρότερον, οὐκ ἀκριβῶς δὲ οὐδὲ ὀρθῶς, ὡς ἔσται ἰδεῖν, καὶ γνῶναι σαφῶς τοῖς ἀμφότερα συγκρίνασι. Πάντα δὲ ταῦτα πολλῇ ἐπιμελείᾳ καθήρας, καὶ ἐξ ἀμυδρῶν, ὅσον ἐπ' ἐμοὶ λαμπρά τε, καὶ εἰλικρινῆ ποιήσας, καὶ εἰς σαφήνειαν ἀναγαγὼν τῇ σῇ πολυμαθεστάτῃ κρίσει ὑποτίθημι.* Sylburgius, quem praeter editiones Ba et Ro codicem S adhibuisse modo cognovimus, etiam plures locos quam in opere pseudaristotelico feliciter emendavit. quem is in opusculo edendo unum successorem habuit Franzius (Altenburgi 1780) huic muneri omnino impar fuit. nam uno excepto quod I § 11 p. 323, 5 pro *τραχύτεροι* (*εἰς ὀργὴν*) verum invenit

1) Nuncup. p. 3: *Ianus Cornarius Medicus Physicus Ioanni Dryandro Medico, scholae Marpurgensis Professori S. D. Remitto tibi Adamantium, et quidem cum foenore. Nam quum omnino perlegendus mihi videretur libellus, obiter simul Latine conscribere coepi, adhibitis ad hoc etiam Physiognomonicis ipsius Aristotelis, quorum methodum hic scriptor magis quam alias se expressisse ac sequutum esse dicit. Proderit autem hoc scriptum ad intelligendum multum in locis Aristotelem. Sicut Aristoteles adhibitus mihi profuit ad multos corruptos in Adamantio locos restituendos. — Vale, Marpurgi Hessorum, Cal. Septembris Anno MDXLIII.*

ταχύτεροι, nihil correxit, quin etiam praeclare a Sylburgio emendata plerumque sprevit.

Iam ut ab editoribus ad eos qui passim textui corrigendo operam dederunt transeam, pauca contulerunt[1]) Conradus Gesner et Ioannes Baptista Porta operibus, quae supra p. LXVIII commemoravi, pauca Andreas Schottus in margine versionis latinae quae in codice Bibl. Univ. Leidensis Vulcan. 29 fol. 39 sq. exstat[2]), quam non ipse fecisse, sed faciendam curasse factamque correxisse videtur, quoniam non solum omissa supplevit, sed etiam res quae ad grammaticam imprimisque orthographiam spectant correxit et vocibus ab interprete usurpatis notam apposuit, ut vocibus *audacitimidi* et *crassicrurium*, quibus interpres graecas *θρασύδειλος* et *παχυσκελῆ* reddidit, in margine adscripsit: *Dura compositio.* plura emendavit Bonaventura Vulcanius notis manuscriptis, quae in eodem codice Leid. Vulc. 29 fol. 50^v et 51 leguntur inscriptae: *In Adamantii Physiognomica observationes editionis Romanae M. D. XXXXV.*

---

1) Nullum locum emendavit Gerartus Falkenburgius, de quo cf. p. CXXX.

2) Inscripta est: *Adamantii Sophiste* (in *Sophistae* corr. Schott) *Physignomia* (in *Physiognomiae* corr. Schott) *lib. primus.* et incipit: *Cum artem physiognomicam ab Aristotile collegissem, eamque* (*que* inseruit Schott) *plus quam ab aliis ab eo corrasissem, simulque hominum operibus affendens, in eadem me exercuissem, opere* (in *operae* corr. Schott) *pretium facturum me duxi, quemadmodum in templorum sacrariis veneranda simulachra* (*h* delevit Schott), *ita in literis hanc artem collocare, posteris non mediocrem futuram utilitatem* (*mediocri — utilitati* in marg. corr. Schott). Vulcanius post *lib. primus* posuit: *A. Schotto interprete* et in margine addidit: *Praemittatur libellus Aristotelis de φυσιογν.*

in 4ª. qui etiam de scriptoribus physiognomonicis edendis cogitasse et a Schotto versionem latinam cum notis accepisse videtur, ut cum viro doctissimo eodemque amicissimo S. G. de Vries conicio ex epistula a Schotto Antverpiae die 26 mensis Martii anni 1598 scripta, nunc inter schedas Vulcanii in bibliotheca Leidensi servata et a Vriesio humanissime mihi transscripta: *Mitto tibi libellos . . . : Cyrilli ἅπαντα, Lilii Giraldi Dialogismos et de re navali* etc. — *Adamantii φυσιογνωμικὰ eo adiecimus, quod ibi* (i. e. Lugduni Batavorum, ubi Vulcanius erat) *excudi inaudiverim, utinam iuvare possit labor. Cum Aeliano Graece edita vidimus.* unum de specie viri fortis caput (II, 44) e Pseudopolemone expedivit Ioannes Meursius, qui et ipse consilium Adamantii et Pseudopolemonis edendi agitavit, ad Theocr. idyll. spicileg. (Lugd. Bat. 1597) p. 170: *Adamantii locum ex Polemonis Physiognomicis sic emendandum censeo. ὀστέα μεγάλα, κόμη σκληρὰ, κοιλία πλατεῖα, καὶ κοίλη, ὦμοι καρτεροὶ, ὠμοπλάται εὐρεῖαι, διεστηκυῖαι, στ. ρ.· κ. μ. ισ. σ. σ. π. τὰ σφυρὰ καρτερία. Ostendam id cum aliquando (vitam et otium suppeditet Deus) utrunque illum auctorem ab innumeris mendis vindicatum publico donabo.* nec sua laude defraudandus est corrector qui idem fuit scriba codicis Monacensis gr. 583, si recte p. CX conieci, Hermannus Venius, qui in multis, etsi saepius e Pseudopolemone quam suo ingenio, manum scriptoris assecutus est. quae littera u insignienda esse curavi. maior autem numerus est emendationum I. G. Schneideri, quarum nonnullae in 'Periculo', plurimae in margine exemplaris Vratislaviensis editionis Franzianae

exstant (cf. p. LXVIII). pauca denique correxerunt Struvius (opusc. II, 185), Rosius (de Arist. libr. ord. p. 225 et Anecd. I, 133), plura Henrychowskius, de quo cf. p. LXVIII sq. nonnullorum locorum emendationes ipse 'quaestionibus physiognomonicis' Kiliae 1890 foras datis p. 11—14 proposui.

Quod autem Polemonis operi per Adamantium, idem huic per magistellum aevi Byzantini prioris accidit: Adamantii quoque physiognomonica in formam epitomae paraphrasticae coacta sunt.

Huius epitomae fragmentum valde mutilum atque vitiosum in codice exstat bibliothecae nationalis Matritensis N — 73 (= Ma) chartaceo miscellaneo saeculi XIV, qui olim Constantini Lascaris fuit[1]), fol. 219—223 incipiens verbis *τὰς κόρας· μεγάλοι τε ὀφθαλμοὶ*, desinens *σημεῖα μόνοις οἷς εἶπον διαιρεῖται.* quae cum Iriartius (Catal. codd. graec. Matrit. p. 268) in Adamantii physiognomonia I § 11 (p. 320, 1) et II § 59 (p. 424, 3) repperisset, totum fragmentum huic tribuit, quamquam eum fugere non potuit *ab impresso exemplari* id *cum capitum vel segmentorum ordine, numero ac titulis, tum maxime ipso verborum contextu, qua pleniori, qua defectiori (nonnunquam etiam prorsus alio) dissidere* et partem secundam aeque atque in Pseudopolemonis opusculo inscriptam esse *ὅροι εἰδεῶν ἀνθρώπων.* postquam apographum eius singularis comitas Guilelmi Gurlitt ab Ernesto Rautenbergio communi amico rogati mihi iam anno 1868 paravit,

---

1) Cf. inscriptionem in folio 180 positam *Κωνσταντίνου λασκάρεως τοῦ βυζαντίου κτῆμα, ἐν νεαπό^{λ} ὠνηθέν.*

ante hos duodecim annos id Matriti cum codice ipso conferre licuit.[1])

Atque haec quidem epitoma integra fons fuit potissimus libelli qui hodie Polemonis nomen prae se fert, sed huius auctor, qui aetate Byzantina posteriore fuit, et in rerum ordine et in dictione vestigia illius passim reliquit, id quod placitis eius cum Adamantio et epitoma Matritensi collatis commentatione de Polemonis phys. p. 11 sq. fusius ostendi.

Cum autem epitomae Matritensis et Pseudopolemonis nostram quidem physiognomoniae graecae cognitionem non dilatent, verum ad verba Adamantii corrigenda plurimum conferant, utramque litteris minutis infra hunc imprimendam esse curavi. atque priorem quidem litteris Matr., codicem ipsum litteris Ma insignivi. Pseudopolemonis autem opusculum (= Po) aliquando neglegentissime plurimisque compendiis in codicem transscriptum et a viro semidocto qui hunc corrigere et compendia solvere studuit novis vitiis infersum est. cum talem in modum textus unus omnium corruptissimus evaderet, eum ad formam genuinam ubique revocare non licuit, sed aeque atque epitomam Matritensem multis locis, ut in libris est, quamvis sensu privus, relinquere coactus eram. quae certa tantum ratione corrigi poterant, correxi. consilium autem quod in eo edendo secutus sum etiam id consectarium habuit, ut singula capita eo quo apud Adamantium sese excipiunt ordine, qui alius atque in libello ipso est[2]),

1) Cf. de Polem. phys. p. 11 sq.
2) Cf. de Polem. phys. p. 8 sq.

proferrem, ordinem tamen huius proprium simul cum numeris paginarum editionis Franzianae in notis indicarem.

Sed Pseudopolemo ut iam in extrema hac parte (in descriptione specierum *πικροῦ* et *πρᾴου*) Adamantianis pseudaristotelica immiscuit[1]), ita his in fine inde a § 70 usque ad 86 quae ab Adamantio omissa vel vidit vel opinatus est subiecit hauriens cum ex aliis fontibus, ut § 81 p. 430, 3 sq. *τῶν ἐρώντων — συμπίπτουσιν* ex Oribasio syn. VIII, 9 vel Paulo Aeg. III, 17 et ibid. *πορνεία ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἐν μετεωρισμοῖς ὀφθαλμῶν καὶ ἐν τοῖς βλεφάροις γινώσκεται* ex Iesu Sirac. 26, 9, vel § 85 p. 431, 3 *οἱ δὲ μὴ ἔχοντες τὸ ἐντὸς κοῖλον τοῦ ποδός, ἀλλ' ὅλῳ βαίνοντες πανοῦργοι* ex Aristotelis historiae animalium I, 15 p. 494[a] 16 (= syll. loc. phys. fr. 43), tum e physiognomonia pseudaristotelica paulo pleniore, quam quae ad nos pervenit.[2]) atque haec statim post Adamantium (p. 427 — 431) imprimenda curavi.

Huius autem opusculi codices, quod sciam, aetatem tulerunt hi sex — nam quid septimo, quem olim apud Andronicum archiatrum Corcyrae, ut videtur, Ianus Lascaris inspexit descripsitque ita[3]): *Πολέμωνος φυσιογνωμονικά, Πολέμωνος ὅροι ἰδεῶν ἀνθρώπων, ἐν τῷ τελεῖ τινῶν σκευασιῶν ἰατρικῶν βιβλίου μικροῦ*

1) Cf. de Polem. phys. p. 9 sq. de Arist. phys. indole p. 299. fortasse etiam verba § 44 p. 361, 10 (p. 272 ed. Franz.) *οὕτω γὰρ καὶ τὸ σημεῖον μαρτυρεῖ τοιουτῶδες* ad phys. pseudarist. § 50 p. 56, 15 *ἴδοι δ' ἄν τις καὶ τῶν κυνῶν τοὺς φιλοθηροτάτους εὐζώνους ὄντας* redeunt.

2) Cf. de Arist. phys. indole p. 299 sq. 301.

3) Cf. Conradum Muellerum in Centralblatt für Bibliothekswesen I, 391.

τινος μέλανος (cod. Vat. 1412 fol. 56^{v}) factum sit, ignoro —

1. Berolinensis Phillippsianus 1576 (= C), quem supra p. CXIII sq. descripsi, continet a pag. 5 usque ad 49 *Πολέμονος φυσιογνωμονικ~.* manus secunda, quae correxit et in margine spiritus omissos addidit, librario aetate fere par certeque vetustior est quam manus correctrix quam textus Adamantianus expertus est. sed passim etiam correctiones manus recentioris (m^{3}) conspiciuntur. codicem bis annis 1880 et 1888 contuli.

2. Parisinus gr. 2118 (= P) olim 3494, saeculo XVI litterarum formis minutissimis iisdemque nitidissimis in chartis formae sedecimae exaratus, pag. 1—55 ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ ΦΥΣΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΟΝ, pag. 56—76 Melampodem *περὶ παλμῶν*, pag. 77—81 *ἑρμηνείαν τοῦ Βροντολογίου τῶν δώδεκα μηνῶν* continet. anno 1735 dono abbatis de Rochelin Regiam bibliothecam intravit secundum inscriptionem folii primi: *Donné au Roy par Mr. L'abbé de Rochelin le 15. juin 1735. Sallier*, et fortasse idem est atque is, quem olim Fulvius Ursinus habebat exaratum manu Ioannis Honorii Hydruntini, quo calligrapho usus est, secundum indicem codicum graecorum Ursini qui in codice Vaticano lat. 7205 inest n. 90 *Polemone et Melampode, scritto di mano di Gio. Honorio et ligato alla greca in corame torchino levantino, in papiro in 8⁰ piccolo.*[1]) codicem

1) Cf. P. de Nolhac, la bibliothèque de Fulvio Orsini p. 344 et p. 398 (*Libri Greci et Latini manuscritti et stampati che non sono descritti nell' indice de libri lasciati dal signor Fulvio Orsini alla Libraria Vaticana*) n. 21 *Polemonis phisiognomica, in 8⁰, coperto di corame turchino.*

anno 1880 Parisiis excussi et de nonnullis lectionibus postea me sciscitantem ea quam semper expertus sum benevolentia Alfredus Iacobus certiorem fecit.

3. Parisinus gr. 2037, olim Colbertinus 3825, deinde Regius 3101, chartaceus formae quartae maioris, dilucide atque nitide saeculo XVI exaratus a fol. 1—35 Polemonem et a fol. 41—55 Melampodis de palpitatione et de naevis opuscula continet. folia quinque (36—40) vacua relicta sunt. cum tituli deessent, glutinatori accidit, ut folia 1—7, quorum primum partem secundam Pseudopolemonis, *ὅρους ἰδεῶν ἀνθρώπων* incipit, foliis 8—35 praefigeret. codicem annis 1867 et 1880 excussi.

4. Monacensis gr. 583 anno 1656 scriptus, de quo supra p. CX et CXXII egi, a fol. 1—34 ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ ΦΥΣΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΟΝ continet.

5. Sinaiticus 1200 chart. miscellaneus, saeculi XVIII, quem inter multa etiam *φυσιογνωμικὸν τοῦ σοφοῦ Πολεμῶντος* continere, sed frustra ab ipso nuper in Sinai montem reverso quaesitum esse Fridericus Grote benevole mecum communicavit.

6. Hierosolymitanus bibliothecae patriarchalis 364, chartaceus, qui inde a folio 21 usque ad 67 *Πολέμωνος φυσιογνωμικόν* continet. sed hic quoque codicis nomine indignus est, quippe qui item saeculo XVIII scriptus sit teste Papadopulo Kerameo (*Ἱεροσολυμιτικὴ Βιβλιοθήκη* I p. 387).

Sed ne Parisinus quidem 2037 et Monacensis ullius in crisi factitanda momenti sunt. nam uterque ex editione Romana (Ro), de qua supra p. CXVII sq. et CXX verba feci, transscriptus est atque Monacensis quidem

accurate, Parisinus autem ita, ut omnia vitia editionis repeterentur, nova inferrentur, nonnulla verba omitterentur.[1]) utrumque igitur codicem ab apparatu critico exsulare iussi.

Reliquorum autem duorum codicum C et P neuter ex altero fluxit, sed suam uterque habet auctoritatem, etsi C fide paululum praestare haud negandum est. sed etiam Camillus Peruscus qui editionem Romanam curavit (Ro) neutro eorum, sed codice cum P cognato usus est.[2]) consensum codicum CP et editionis Ro littera x, correctiones a scriba codicis Monacensis factas littera u[3]) significavi. vitia autem quibus Ro scatet ut omnia adnotarem, a me impetrare non potui. neque lectiones versionis latinae a Nicolao Petreio factae apponere e re visum est exceptis iis quae singularem dignitatem haberent. codicis enim C gemellus fuit is, quem Petreius secutus est in versione Venetiis anno 1552 edita in libello inscripto *Meletii Philosophi de natura structuraque hominis opus / Polemonis Atheniensis insignis Philosophi naturae signorum interpretationis / Hippocratis de hominis structura / Dioclis ad Antigonum Regem de tuenda valetudine Epistola / Melampi de Nevis Corporis Tractatus.*[4])

Nullus autem ad crisin factitandam usus est versionis latinae comitis Caroli Montecuccoli a fratre Francisco editae libello inscripto: *Polemonis Physionomia e graeco in latinum versa per illustriss. comitem*

1) Cf. de Polem. phys. p. 20 sq.
2) Cf. de Polem. phys. p. 21 sq.
3) Cf. supra p. CXXII.
4) Cf. de Polem. phys. p. 23 sq.

Carolum Montecuccolum Carpi Anno salutis MDCVII. aetatis suae XV. Cum Annotationibus eiusdem comitis, et cum translatione eiusdem Physionomiae in Italam orationem conscripta[1]) *a comite Francisco Montecuccolo eius fratre: qui haec edidit Mutinae MDCXII.* nam ex editione Romana fluxit. nec quicquam bonae frugis in eiusdem viri graecae linguae parum gnari 'Annotationibus' invenitur.

De Franzio valet quod supra p. CXX dixi.

Magno autem cum eventu etiam in huius opusculi mendis tollendis operam suam collocaverunt Sylburgius et I. G. Schneider, cum minore Gerartus Falkenburgius[2]), Vulcanius, Porta, Struvius, cum impari Henrychowskius. nam is in aliis felix fuit, in aliis peccavit, quia neque physiognomoniam latinam adhibuit et falsam de ratione quae inter Adamantium et Pseudopolemonem intercedit et de huius aetate opinionem secutus[3]) plus semel menda non librariorum, sed auctoris sustulit. multas igitur eius coniecturas silentio praeterire utile visum est. Schneidewinum in uno loco (p. 306, 19 sq. = p. 196 Fr.) emendando toto caelo a vero aberrasse in Herm. vol. X p. 465 sq. docui.

1) Haec versio Italica Patavii 1626 et in 'Fisonomia dell' Huomo' Ioannis Baptistae Portae, Venetiis 1644 et 1668 repetita est.

2) Is margini exemplaris editionis Romanae, quod teste inscriptione in involucro posita *Bononiae An. CIↃ·IↃ·LXVI· XI KL. Augusti* sibi acquisivit quodque nunc in bibliotheca universitatis Rheno-Traiectinae (Hs. N° 20 Kast 1 pl. C.; num. 1488 in Catalogo codd. manuscr. bibl. Univ. Rheno-Traiectinae anno 1887 edito) servatur, nonnullas emendationes adscripsit. quas quoniam nuper demum Traiecti ad Rhenum inspicere mihi licuit, memorabiles hoc loco publici iuris faciam. scripsit Falkenburgius p. 298, 21, ut ego, ἔκ τινος ἀμεταπταίστου; p. 301, 11 ἀκραιφνέστερον; p. 302, 12 σκεπτομένοις; p. 391, 18, ut Sylburgius, κλεπτοσύνας.

3) Cf. de Polem. phys. p. 8 not. 3.

IV.

Iam sequitur (t. II p. 1—145) physiognomonia latina, quae maxime e Polemonis opere pendet. dicit sane eius auctor se e tribus auctoribus sua sumpsisse p. 3, 1: *Ex tribus auctoribus quorum libros prae manu habui, Loxi medici, Aristotelis philosophi, Palemonis declamatoris, qui de physiognomonia scripserunt, ea elegi quae ad primam institutionem huius rei pertinent et quae facilius intelligantur*, accuratius autem examinanti elucet eum longe pleraque e Polemone interpretatum esse et pauca e Pseudaristotelis et Loxi physiognomoniis vel immiscuisse vel assuisse. e Polemone enim, quem *Palemonem* nominat, fluxerunt, quamvis raro eius mentio iniecta sit (p. 48, 11; 50, 2; 52, 2; 57, 15; 63, 2; 88, 5; 90, 5; 100, 5; 118, 14; 119, 7; 128, 12; 129, 5; 130, 6), omnia fere quae de signis inde a capite (§ 16) usque ad colores (§ 79) et quae de speciebus inde a forti (§ 90) usque ad cum stultitia nocentem (§ 105) praecipiuntur, quibus accedit exemplum physiognomoniae praenuntiae, cuius tantum exordium servatum est (§ 133), reliqua cum fine opusculi perierunt ad Pseudaristotelis libellum redeunt praeter pauca quae eius nomine insignita signis Polemonianis vel immixta (p. 68, 3; 77, 8; 92, 1) vel subiecta sunt

species quae Polemonianis succedunt inde ab inverecundo usque ad memoria vigentem (§ 106—114)[1]; ad Loxum redeunt locus de labio inferiore excedente (p. 67, 11), signa Polemonianis subiecta (§ 81 et 82), physiognomonia zoologica (§ 118—131), nota de physiognomonia praenuntia (§ 133) et, si recte conieci[2]), maxima pars prooemii et epilogi, et descriptio signorum, a quibus auctor initium fecit, capillorum et cutis capitis, post quae in reliquis persequendis eius vestigia relinquenda et Polemonem sequendum esse statuit[3]), denique species mollis (§ 115).

Iam si de ratione qua auctor munus suum obiit quaerimus, libellum suum satis festinanter consarcinasse potius quam concinnasse neque ultimam manum ei imposuisse censendus est. nam, ut nonnulla proferam, tantae fuit incuriae, ut non animadverteret se tres species inverecundi (*ἀναισχύντου*), honesti moribus (*κοσμίου*), mansueti (*πραέος*) iam e Polemone (§ 94. 95. 100) etsi partim sub aliis titulis impudentis (§ 94) et temperati (§ 95) praebuisse, sed, quasi deessent, e Pseudaristotelis physiognomonia

---

1) Haec exposui de Polem. phys. p. 6 sq.; de Arist. phys. indole p. 298 sq.; de Loxi physiogn. (Mus. Rhen. XLIII) p. 506.

2) Cf. Mus. Rhen. l. l. inter ea quae his in prooemio e Polemone immixta esse enarravi l. l. p. 507 etiam verba p. 6, 5 referenda sunt: *sicut in studio litterarum, cum sint viginti quattuor elementa secundum Graecos quibus omnis vox et omnis sermo comprehenditur, ita et in physiognomonia propositis elementis latissima observationis huius via panditur* (cf. p. 119, 3), quibus respondent quae sunt in versione arabica c. 1 p. 120, 9: *sed tibi, postquam cetera signa cognoveris et omnium experimenta feceris secundum ea quae tibi descripta sunt, hoc scientiae physiognomoniae fundamentum erit, ut puer litteras gradatim docetur.*

3) Cf. supra p. LXXII.

supplementi loco adderet § 106. 107. 109.[1]) et quae apud Polemonem de capillis exposita invenit, non simpliciter, ut reliqua, reddidit, sed in hunc modum: p. 92, 4 *de capillorum varietate haec superius quidem discretio facta est, quod crispi timidum ostendant, quod directi ferum, hoc idem et spissi, quod rari insidiosum, quod molles nimium effeminatum etc.* nempe memor quidem fuit de capillis se iam supra (§ 14) verba fecisse, sed oblitus est ibi se Loxo fonte usum esse, qui hanc *discretionem* non fecit.[2]) nec quisquam laudare poterit conexum, qui est in descriptione capillorum § 13 p. 22, 3 sq.: *sciendum etiam de capillis his qui cum homine nascuntur quod certiora sint signa, ut capitis, superciliorum et oculorum. incipiamus a capite. Capilli stabiles idemque nigri — violentum hominem indicant etc.* et si in capite de pedibus canoni § 72 p. 91, 9 sq. e Polemone relato *qui — cruribus ambulant et ex interiori parte calciamenta atterunt, versutam et malignam mentem ostendunt* haec subicit: *Aristoteles addit etiam hos esse versutos, qui habent inflexa supercilia, sicut sunt in personis senum comicorum,* huic additamento locum minus aptum vix inveniri potuisse concedes.

1) Cf. de Arist. phys. indole p. 298 sq.

2) Cf. Mus. Rhen. l. l. p. 508. quod autem Ferdinandus Maier (de anonymi physiognomonia Apuleio falso adiudicata, Bruchsaliae 1880 p. 4) notavit definitionem vocabuli γλαφυρός deesse, quamquam bis (§ 110 p. 132, 16 *cuius nominis significationem supra insinuavimus* et § 113 p. 134, 5 *supra autem expositum est hoc nomen*) ad eam provocatio fiat, extra culpam esse auctor iudicandus est, postquam e Molinii codice cognovimus hanc vocem definitam esse § 109 p. 132, 13 *γλαφυρὸν autem intelligendum est, quod non uniforme est nec congestum sed discretum tanquam interrasum vel insculptum.*

Sed ne sententiam quidem graeci exemplaris usquequaque auctor assecutus est. hic illic sane codex quo utebatur vitiis inquinatus erat, veluti p. 80, 11 (Adam. II, 20 p. 366, 3 *χεῖρες πάνυ κολοβαὶ μωρίας σημεῖον*) pro *μωρίας* praebebat *φωρίας*, nam noster vertit: *nimium breves manus et exiguae furtis oportunae et rapaces sunt*; p. 48, 4 (Adam. I, 12 p. 325, 3 *εἰ μέντοι ἅμα ὑγρότητι ὑπορρέοιεν, μωρότερα*) praebebat *ἀμαυρότητι* pro *ἅμα ὑγρότητι*, nam noster vertit: *qui in obscuritate diffluunt, stulti sunt*; p. 49, 5 (Adam. I, 13 p. 326, 5 *εἰ δὲ καὶ τὰ βλέφαρα αὐτοὺς βαρύνει, πλείων ἡ ἄνοια*) praebebat *ἢ* pro *ἡ*, nam noster vertit: *glauci iniustum et stolidum et plus quam stolidum (asseverant), si superioribus ciliis onerentur ac praegraventur*; p. 97, 9 (Adam. II, 39 p. 398, 10 *οἱ μικρὰ βαίνοντες ἄπρακτοι, πικροί*) praebebat *μικροὶ* pro *πικροί*, nam noster vertit: *parvi autem et restricti passus inefficaces, parci, parvae mentis sunt.* sed multo frequentior est error ipsius interpretis, ut in voce *ἐπισκύνιον* per *superficiem* reddenda p. 53, 2 (*oculi*) *qui intendunt acriter et sunt — sicci, saevos, insidiosos atque ex occulto nocentes, omnia audentes, omnia perpetrantes indicabunt, eo magis quo superficiem idem oculi habuerint leviorem* (Adam. I, 16 p. 333, 2 *εἰ δὲ ἐπὶ τοιούτοις ὀφθαλμοῖς ἐπισκύνιον βαρὺ νεύει*); *εἰς τὰ δεινὰ ἀγρυπνῶν ἐπὶ συμφοραῖς ἑταίρων* (Adam. I, 6 p. 310, 3) per *pervigilem et exquisitorem malitiae* p. 36, 8[1]); *κιθάρας καὶ αὐλοῦ*

1) Contra non *κακοήθης* cum *ἠλίθιος* confudisse videtur praebens p. 86, 5 *quae autem rotunda sunt tanquam tumentia, loquacem, inanem declarant: nam refertur ad ranas*, ubi Adamantius II, 13 p. 361, 2 *αἱ δὲ περιφερεῖς καὶ πλήρεις, ὡς*

καὶ μουσικῆς ἥττους (Ad. I, 14 p. 329, 1) per *quod per aures et oculos insipiunt, etiam sola ratione molliuntur atque mitigantur* p. 50, 15; vel verbis *καὶ στρογγύλαι* (Adam. II, 27 p. 378, 9 *βάσκανοι δὲ καὶ ὅσοις παχεῖαι οὖσαι αἱ γνάθοι διεστήκασι τῶν ὀφθαλμῶν. στρογγύλαι παρειαὶ δολίων*) male ad antecedentia referendis p. 68, 10 *quorum malae tanquam ab oculis abscisae sunt plenitudine ac pondere suo praegravatae et sunt rotundae, invidiae arguuntur* etc. ad elocutionem magis pertinet exaggerandi quoddam studium, quo permotus adiectivis in gradu positivo prolatis addidit adverbia *admodum, satis, aliquanto, nimium,* in gradu comparativo ablativum *multo,* vel pro positivis comparativos, quin etiam superlativos usurpavit, id quod Edmundus Kelter dissertatione inscripta 'Apulei quae fertur physiognomonia quando composita sit', Kiliae 1890 p. 36 sq. multis exemplis illustravit. qua cum proprietate cohaeret, quod ad unam vocem graecam (v. g. *δειλός*) reddendam duas adhibet (*timidus et imbecillis* p. 59, 1; 120, 6), cuius usus exempla, cum creberrima sint, hoc loco proferre supervacaneum esse duco exceptis iis quae simul eum allitterationis studiosissimum fuisse[1]) monstrant p. 78, 7 *conclusi et compressi* (*συμπεφραγμέναι*); p. 121, 10 *coniunctis atque conclusis* (*συνδεδεμένοις*); p. 82, 6 *coniuncti sunt et cohaerent*

οἰδοῦσαι, φλυρίαν καὶ κακοήθειαν σημαίνουσιν et cum eo consentiens Arabs c. 13 p. 210, 2 *costae rotundae plenae ut hydrops, multae loquacitatis et pravae actionis virum indicant* habet; nam, ut verba *nam refertur ad ranas* demonstrant, Polemonis praeceptum correxit et auxit e Pseudaristotele § 53 p. 58, 9 *ὅσοι δὲ ἐκ τῶν πλευρῶν περίογκοί εἰσιν, οἷον πεφυσημένοι, λάλοι καὶ μωρολόγοι· ἀναφέρεται ἐπὶ [τοὺς βοῦς ἢ ἐπὶ] τοὺς βατράχους.*

1) Cf. Woelfflinum Archiv f. lat. Lexic. VII, 460.

(*συμφυεῖς*); p. 82, 7 *collecti sunt et conglobati* (*συνεστραμμένοι*); p. 83, 6 *dispositum et discretum* (*διηρθρωμένον*, cf. p. 70, 11); p. 65, 12 *figuratae atque formatae* (*διαγεγλυμμένα*); p. 33, 5 *immanibus atque impiis* (*ἀθεμίτοις*); p. 67, 1 *recisum ac reductum* (*ἀνατομή*); p. 60, 9 *reflexis atque retractis* (*ἀνασπῶσιν*); p. 94, 10 *repressus vel reflexus* (*ὑποχωροίη*); p. 47, 13 *revocat ac reformat* (*παραμυθοῦνται*). cf. etiam p. 61, 7 *perspiciat atque perpendat*; p. 62, 6 *colliguntur atque intelliguntur.*

Aeque atque Adamantium interpretem paganum fuisse uno loco § 27 p. 43, 1 *non ab impietate ulla, non ab iniuria hominum vel deorum hi oculi abstinebunt* satis evincitur.[1]) quis fuerit, nescitur. nam in codicibus vetustioribus libellus tantum inscriptus est: *Physiognomonia* vel *liber Phisiognomoniae* et titulos recentiorum codicum, ut Marpurgensis B 3b fol. 36v *phisonomia loxi medici*, Oxoniensis Ashmol. 1471 fol. 125 *phisiagonomia aristotilis*, Erfurt. Amplon. Qu. 295 fol. 43v *phisionomia aristotilis*, Londin. Sloan. 2030 fol. 91 et 99 *physionomia Aristotilis*, Londin. Sloan. 3469 fol. 25 *phisnomia palemonis philosophi* e primis verbis libelli, quae supra (p. CXXXI) laudavi, fictos esse apparet.[2]) idem cadit in Arnoldum Saxonem, qui librum prius sub Loxi, mox sub Palaemonis nomine citat.[3]) Ursonis nomen coniectura continetur aperte falsa Amplonii, qui de codice anepigrapho Erfurtensi Fol. 378: *Optimus*, inquit, *liber de phisonomia (ex scriptis Loxi medici, Ari-*

1) Cf. Kelter l. l. p. 11.
2) Cf. de Apulei quae fertur physiognomonia recensenda et emendanda (Jahrb. für Philol. Suppl. XV, 559).
3) Cf. infra p. CLXIII sq.

stotelis philosophi, Palaemonis declamatoris conflatus) et puto eum esse Ursonis.[1]) nam ut omittam in testamento Everardi comitis Tarvisiani anno 873 condito nostrum libellum verbis *Phisionomia Loxi Medici*[2]) indicari non potuisse, si ab Ursone Calabro compositus esset, illa coniectura excluditur dictione libelli, quae a latinitate auctoris et commentatoris 'Amphorismorum'[3]) omninoque a medii aevi barbarie tam aliena est, ut de Apuleio Madaurensi auctore cogitare potuerint viri doctissimi Pitra (Spicil. Solesm. t. III p. 321) et Rosius (Anecd. I, 61 sq.) assentientibus Rohdio (Ueber Lucians Schrift *Λούκιος* p. 16. Griech. Roman. p. 317), O. Ribbeckio (Mus. Rhen. XXXI, 399. Alazon p. 52 et 85), Roenschio (Jahrb. f. Philol. CXXI, 507). quamquam haec quoque opinio multis de causis derelinquenda est.

Nam primum fundamenta quibus ea nititur vacillant. quod enim locus libelli nostri § 32 p. 49, 10 *tales existimantur oculi Socratis philosophi fuisse, quem Apollo Pythius prudentissimum pronuntiavit* ab Alberto Magno de anim. I, 2, 3 (opp. ed. Lugd. t. VI p. 24ª 29) ita laudatur: *et tales referuntur ab Apuleio fuisse oculi Socratis, quem Apollo prudentissimum pronuntiavit,* inde minime concludendum est ab eo libellum sub Apulei nomine lectum esse. nam fac Albertum revera *ab Apuleio*[4]) scripsisse, nihil aliud nisi errorem commisit similem atque p. 28ª 14: *acceptum est autem ab anti-*

1) Cf. Mus. Rhen. XLIII p. 505.
2) Cf. de Polem. phys. p. 6.
3) Quem e codice Erfurt. Amplon. Qu. 226 fol. 6—30 cognovi.
4) Editiones libri de animalibus Mantuana (a. 1479) et Veneta (a. 1495) praebent *ab Apulegio.*

quissimis, Hippocrate videlicet et Apolline, quatuor esse figuras capitis humani quae salvantur in vita. ut hoc loco *Apollinem* cum *Philemone* confudit, ita nostro vel *a Palemone* vel *a Philemone* vel *a Platone* scribere debuit. sub horum[1]) enim nominibus vel *Platonicorum* (p. 36ª 12) vel *Pithagorae* (p. 38ª 68) vel *Loxi* reliquis locis libellum nostrum, cuius codicem simillimum Cottoniano (C) praesto ei fuisse infra demonstrabimus, laudavit. at fortasse utroque loco error librarii compendium perperam solventis agnoscendus est.

Nec maiorem apud me auctoritatem habet index codici Harleiano 3969 saeculi XIV qui libellum continet manu posteriore (saeculi XV) in folio 233 adiectus[2]): *Hec continentur pro ordinem in hoc libro . . . Marcus Censorinus. Apuleius de secta platonica. Item de deo Socratis. Item de phisnomia . . . . . . Historia de bello troianorum. Item de monstris et portentis. Item phisicon proteron. Albericus de radiis dictaminum. Eproceptio Ioachimi super Apocalipsim. Item de presagiis tempestatum. Item Ieronimus contra Elvidium.*

Qui *item* minime idem atque *eiusdem* significare non ex hoc ipso indice didicerit, discet fortasse ex alio eiusdem saeculi indice, qui est in folio primo codicis Bernensis 347[3]): *liber macrobii de astronomia. Item nonii macelli de compendiosa doctrina per litteras. Item eiusdem de proprietate sermonum. Item de differentia similium significationum.*

---

1) Cf. p. 26ª 23; 34ᵇ 19; 35ᵇ 31 et 49; 71ᵇ 49—21ª 14; 34ᵇ 13; 35ᵇ 40, 56, 58, 66; 38ᵇ 66 etc.

2) Cf. Rosii Anecd. I, 73 sq.; de Apul. phys. l. l. p. 560.

3) Cf. Revue de philol. VIII, 77.

Neque physiognomoniae studium quod in genuinis scriptis Apulei dispicitur fines excedit eos, quibus omnino cum apud comoediarum et satirarum tum fabularum scriptores continetur.[1]) neque rationem vertendi qua noster, ut ipse p. 3, 6 testatur (*sane ubi difficilis mihi translatio vel interpretatio fuit, graeca ipsa nomina et verba posui*), usus est convenire ei quam Apuleius sibi vindicat apol. c. 38 (*animadvertes cum res cognitu raras, tum nomina etiam Romanis inusitata et in hodiernum, quod sciam, infecta, ea tamen nomina labore meo et studio ita de Graecis provenire, ut tamen Latina moneta percussa sint*) iam Sauppius (Goetting. Gel. Anzeigen 1866 N. 1 p. 22) monuit.

Denique verba § 40 p. 57, 15 *a Palemone quidem auctore referuntur, qui eunuchum sui temporis fuisse hunc hominem descripsit. nomen quidem non posuit, intelligitur autem de Favorino eum dicere* tantum abest ut auctorem Polemoni aetate aequalem indicare cum Rosio putem, ut eum longo temporis intervallo ab hoc disiunctum esse colligam. nam ut nihil obstat quominus eum notitiam Favorini e scholio in margine posito cepisse statuamus[2]), ita verba *eunuchum*

1) Conferas locos duos Apulei (Met. II, 2 et X, 2), quos Rosius l. l. p. 79 attulit, cum Plauto Asin. 400. Pseud. 1216. Capt. 646. Rud. 316. Poen. 1100. Merc. 639, Terentio Hec. 439. Heaut. 1061, Novio fr. 60 (Ribbeck fr. com. p. 263), Lucilio sat. XVII, 649 L., Varrone *Γνῶθι σαυτόν* fr. XI Ries. (207 Buech.) iisque sophistarum locis quos Rohdius (griech. Roman p. 151 et 316) congessit et respicias quae a me in oratione academica 'Die Physiognomik der Griechen' (Kiliae 1884) p. 15 et 16 exposita sunt.

2) Male de versione arabica edoctus eram, cum de Apul. phys. p. 561 interpretem Arabem Favorini non solum patriam, sed etiam nomen appellasse dicebam.

sui temporis fuisse hunc hominem descripsit Polemonis aequalem excludunt et auctorem aetate multo inferiorem digito monstrant. idemque clamant loci permulti § 31 p. 48, 11 *Palemon auctor etiam hac de causa huius ⟨speciei⟩ exemplum in libro suo extulit ex homine suorum temporum*; § 27 p. 43, 2 *Palemon auctor huius speciei exemplum ex homine temporis sui posuit, quem sceleratissimum fuisse asseveravit*; § 105 p. 128, 12 *exemplum quod Palemon auctor huius speciei ex homine temporis sui posuit, quem sceleratissimum fuisse asseveravit* (cf. p. 130, 5). quomodo talia Apuleius, qui anno fere 124 natus est, adulescentulus, ut Rosius (l. l. p. 83) putavit[1]), scribere potuit?

Quid? quod, si *Palemo* forma nominis, quam libri constanter praebent[2]), ut quaest. phys. Kiliae 1890 p. 7 conieci, ab interprete ipso profecta est, ne nomen quidem huius auctoris genuinum novit. nam facilius mihi videtur ad credendum interpretem peccato quod in titulo exemplaris ipsius commissum erat deceptum semel falsam de nomine auctoris opinionem concepisse, quam librarium apographi, e quo nostri codices fluxerunt, tot locis semper eodem modo errasse.

Sed etiam sermonem tantum abest ut nihil quod

---

1) Quamquam ab hac opinione abhorret, quod alio loco (p. 72) interpretem in fine saeculi secundi collocavit.

2) Loci sunt p. 3, 3; 43, 2; 48, 11; 50, 2; 52, 2; 57, 15; 63, 2; 88, 5; 90, 5; 100, 5; 108, 9; 118, 14; 119, 7; 128, 12; 129, 5; 130, 6; 137, 5; 144, 15; 145, 1 et 6. *Polemo* semel in cod. Oxon. p. 118, 14 exstat. Molinius autem, cuius editio Lugduni anno 1549 prodiit, *Polemonem,* quam formam nominis constanter praebet, e Pseudopolemonis physiognomonicis Romae anno 1545 typis mandatis vel ex Adamantii, qui § 1 Polemonem commemoravit, editionibus annis 1540 Parisiis et 1544 Basileae foras missis (cf. p. CXVI sq.) facile sumere potuit.

ab Apuleio abhorreat continere Rosio concedam, ut hunc excludi et auctorem aetatis multo posterioris indicari mihi persuasum sit. quae ab Apuleio aliena sint cum multa a Ferd. Maiero in commentatione quam supra (p. CXXXIII not. 2) citavi etsi magis dissipata quam unum in locum coacta et ab Henr. Beckero in Studiis Apuleianis, Berolini 1879 p. 10 notata sint, duo hoc loco commemorasse satis habeo. Apuleius ad res comparandas particulis *ut* et *velut* utitur, nunquam *tanquam*, quam noster in deliciis habet.[1]) quod autem Rosius l. l. p. 84 *quod* particulam pro accusativo cum infinitivo positam cum Apuleio fere congruere dixit, id parum recte se habet. cum enim Apuleius in Metamorphoseon libris accusativos c. inf. 221, *quod* 4, in Floridis accusativos c. inf. 38, *quod* 1, noster autem accusativos c. inf. 104, *quod* 9 exhibeat, usum *quod* particulae apud hunc multo latius patere elucet. etiam gravius est, quod Apuleius nunquam, noster autem iam bis *quia* particulam pro accusativo c. inf. adhibuit (p. 41, 13; 50, 12), cuius usus prima exempla eaque rara saeculo III occurrunt.[2])

Sed sunt multa quae cogant ut vel ultra medium tertium saeculum, qui Sauppio l. l. p. 22 ultimus esse terminus visus est, usque ad saeculum quartum vel exiens descendamus.[3]) e quibus quae maximam vim habere mihi videantur, haec proferenda esse censeo.

1) Cf. Becker l. l.

2) Cf. Mayen, de particulis *quod quia quoniam quomodo ut* pro acc. c. inf. post verba sentiendi et declarandi positis, Kiliae 1889 p. 31. 47. 48.

3) Ad hanc sententiam pervenit Kelter l. l. (p. 35 et 48), ad similem Maier, nisi quod hic vel de initio quinti saeculi cogitavit (p. 23). Boethium de consol. phil. IV, 3 (= syll.

Haud raro noster graecas voces *πολύς*, *πολὺ* et *πάνυ* per *nimius*, *nimium* vel *nimis* reddidit[1]) congruens cum usu litterarum sacrarum et sermonis cotidiani, quem Augustinus testatur enarr. in psalm. 118 conc. 4: *sed aliquando latina lingua hoc verbo sic abutitur, ut nimis pro eo quod est valde et positum inveniamus in litteris sacris et ponamus in sermonibus nostris.*[2]) item frequenter *satis* idem atque *valde* significat, ut in sacris litteris et apud scriptores alterius partis saeculi quarti[3]); *minimus* superlativus loco comparativi *minor* positus est p. 143, 13 *tam minimas quam maiores corporis partes*, ut in libris Vulgatae[4]); comparativus saepissime pro positivo, ut apud scriptores alterius partis saeculi quarti.[5]) similiter temporum modorumque in enuntiationibus relativis, temporalibus, condicionalibus, secundariis orationis obliquae confusio latissimum habet campum, ut apud scriptores eius quam modo dixi aetatis.[6]) p. 77, 4 *certum autem sit nihil simplex huiusmodi* (sc. *cervicem*), *nihil securum, nihil remissum continere* vox *huiusmodi* plane per se constans idem atque *hanc* vel *talem* significat aeque atque nonnullis locis Vulgatae.[7]) in duabus locutionibus

---

loc. phys. fr. 38 p. 255) partem opusculi nostri, quae est de physiognomonia zoologica, p. 137—143 ante oculos habuisse coniectura est Pitrae Spicil. Solesm. III, 323, quae quovis fundamento caret.

1) Cf. Kelter l. l. p. 36.

2) De quo loco cf. Woelfflin, Lateinische und romanische Comparation p. 25.

3) Cf. Kelter p. 37. Woelfflin Archiv für lat. Lexic. I, 98.

4) Cf. Kelter p. 39. Woelfflin, Comparation p. 70.

5) Cf. Kelter p. 37 sq.

6) Cf. Kelter p. 24 sq.

7) Cf. Kelter p. 17.

iuxta venerem proniores p. 45, 2 et *iuxta pueros ⟨dementem?⟩* p. 44, 5 *iuxta* praepositio idem atque *in* valet[1]), ut duobus locis commentarii a Ti. Claudio Donato in Vergilii Aeneidem conscripti IV, 371 *tanta mala, inquit, iuxta me commissa sunt* et V, 6 *aliquid mali in illa civitate iuxta salutem Didonis esse commissum.*[2]) praepositio *in* c. abl. post verba *excellendi* et *praevalendi* interdum exstat, ubi merum ablativum (ut p. 28, 1 *sensibus praevalent*) exspectes: p. 86, 13 *in omni parte virtutis excellent*; p. 40, 11 *in acumine ingenii praevalentem*[3]), aeque atque apud Augustinum de civ. dei VIII, 4 *in activa* (sc. *parte*) *excelluisse.* praepositio *a* pro *quam* non iam post *plus, minor, maior, melior,* sed post omnis generis comparativos, ut p. 11, 1 *a reliquo vestigio elatior*; p. 25, 4 *superior a cervice*; p. 9, 8 *pars ab umbilico inferior*; p. 9, 11 *niger vel a rubeo fuscior*(?); p. 134, 4 *inferiores ab inguine*, locum habet, id quod non ante finem saeculi quarti usu venisse videtur.[4])

---

1) Ut p. 95, 10 sq. *qui in pueros dementes sunt* dixit.

2) Haec duo exempla usus, quem Kelter p. 20 plane inauditum dicit, protulit H. Nettleship, Contributions to latin lexicography p. 510 et The Classical Review V p. 429. Locus Fausti Reiensis epist. 3 p. 171, 8 ed. Engelbr. *quomodo iuxta substantiam dei in epistula quadam scriptum sit*, quem idem loco proximo laudavit, huc non facit, quoniam *iuxta* aeque atque reliquis locis apud Faustum (vide indicem Engelbrechtianum p. 491) idem quod *secundum* significat.

3) Locus autem a Keltero p. 21 allatus p. 135, 13 *in omnibus praevalere* non magis huc facit quam Augustini l. l. *id quod in eo praecellit.*

4) Cf. Serv. comm. in Donat. G. L. IV p. 407, 25 *comparativus autem gradus iungitur casibus tribus, ablativo, septimo et nominativo interposita particula quam: ablativo, ut 'doctior ab illo', septimo, ut 'doctior illo', nominativo, ut 'doctior hic quam ille'. sed frequenter utimur septimo, ablativo paene numquam.* Serg. explan. in Donat. l. l. p. 492, 10 *dicimus enim 'fortior*

Neque ante aetatis terminum quem dixi interpretem poni structurae vel locutiones sinere mihi videntur quales sunt p. 56, 3 *nihil intemptatum facinus, nihil inausum relinquentes*; p. 18, 7 *non tam parvum interest inter oculos furiosos et prope furiosos*; p. 74, 3 *ceteri leniter sibimet* (= inter se) *conveniunt*; p. 70, 1 *crassae nares immundum hominem dant intelligi*; p. 59, 3 *si perversi sunt vel pallidi, stultitiam indicare noscuntur*; p. 64, 8 *nec dubium erit pronuntiare de eo qui ursae est similis*; p. 52, 10 (*oculi*) *risui permixti*; p. 54, 1 *oculi risui voluptatique permixti*; p. 56, 10 (*oculi*) *tremore et pallore permixti*; p. 107, 4 *fuscior color pallori permixtus*; p. 122, 7 *vultus rubori honesto permixtus.*[1]) atque eandem aetatem indicat usus vocabulorum quae ante medium saeculum quartum non reperiuntur *calcaneum* (p. 90, 2; 114, 5 et 16; 123, 10; 134, 12; 140, 6); *capillosus* p. 93, 8 et 94, 7); *fellitus* (p. 36, 6; 39, 7); *incomprehensus* (p. 35, 10); *incongruus* (p. 75, 11); *serpentinus* (p. 13, 9); *insipio* (p. 50, 5); *praemoveo* (p. 123, 12); *concavum* = caverna (p. 9, 4; 68, 1; 104, 2); *iniquitas* = iniquum facinus (p. 54, 12); *divinitas* = numen (p. 59, 11); *diffinitio* = definitio (p. 136, 5, cf. 62, 4); *vastus* = crassus, *παχύς* (p. 23, 12; 72, 11 et 13; 77, 9; 88, 1; 90, 3 et 6; 121, 11; 129, 12) et locutionum *libidinibus subiugatus* (p. 20, 7); *mentis ingenium confovere*

---

ab illo' et 'fortior illo'. sed illud quamvis et rationem et auctoritatem habeat, in usu tamen non est, ut dicamus 'fortior ab illo'; sed dicimus 'fortior illo'. cf. Kelter p. 21 sq. et 35. Woelfflin, Archiv für lat. Lexicogr. VI, 448; VII, 125 sq. Sittl, Jahresbericht f. klass. Alt. vol. 68 p. 246.

1) Cf. Kelter p. 18. 23. 31. cf. Philipp. Tripol. vers. Secr. Secr. § 23 t. II p. 220, 5 *cuius aspectus quasi commixtus est laetitiae et iocunditati.*

(p. 21, 3); *congestus carnibus* (p. 83, 10; 121, 13) et cui plurimum tribuo *conversatio humana* = commutatio naturae humanae p. 19, 4, quae simili significatione (= mutatio sortis humanae) legitur in [Aurelii Victoris] epitoma 18, 3 *hoc exitu obiit vir ad humanae conversationis exemplum* atque apud Priscillianum p. 57, 3 ed. Schepss *vitae humanae conversationes*[1]), quibus addatur magnus numerus vocum quae ante nostrum omnino non exstant: *cogitator* (= φροντιστής, φροντιστικός) p. 15, 6; 18, 1; 29, 1; 36, 10; 50, 8; 59, 8; 69, 3; *figuratrix* p. 4, 10; *temperamen* p. 136, 16; *pronitas* p. 66, 11; *incompos* p. 49, 13; *perrotundus* p. 82, 2; *subclausus* p. 56, 5; *circumtumens* p. 50, 13; *subdiffluens* p. 129, 7; *impressior* p. 8, 2; 86, 1; *perspicuus* = *perspicax* p. 61, 8; *indispositus* = unabgesetzt p. 70, 11; *glaucire* p. 134, 13; *propatere* p. 54, 11; *subterintendere* p. 54, 2.

Denique illi aetati convenit, quod noster nunquam *morbum*, sed aut *aegritudinem* p. 107, 3 vel *aegritudines* p. 19, 6 aut *infirmitatem ac vitia* p. 13, 5, nunquam *supra modum*, sed semper *ultra modum* (p. 22, 9; 67, 1; 81, 1; 121, 8), *frequenter*[2]) multo crebrius quam *saepe* (p. 124, 9; 135, 1) usurpavit.

Afrum fuisse interpretem Kelteri (p. 22 et 48) est opinio, quam ut nonnullis indiciis commendari concedo, ita pro certa habere non queo.[3])

Iam si de via qua hic libellus ad nostram aetatem

---

1) Cf. Kelter p. 40 sq.
2) Locis a Keltero p. 48 allatis addas p. 113, 8.
3) Idem fere statuit Woelfflinus Archiv VII, 460.

pervenit quaerimus, hi quindecim codices hodie supersunt:

1. Leodiensis univ. 77 (= *L*), olim monasterii Sancti Trudonis, membranaceus formae quartae, sub initium saeculi XII in usum Marbodi episcopi ab anno 1096 usque ad 1123 Rhedonensis descriptus teste subscriptione folii 73^v ex hexametris leoninis constante

Ergo librum talem. modicum licet ac manualem!
Distinctum flore. per singula multicolore!
Mellifluis sulcis. miratur francia dulcis.
Ut fatear verum scrutentur ut abdita rerum!
Hic notat obscuris quaedam signata figuris!
Ut status. ut vultus. habitus. vox. motio. cultus!
Absque nota morum commendet quemque virorum.
Utrum sit iustus, virtutum flore venustus!
An nequam fallax. et ad omne scelus nimis audax;
Hoc opus insigne grecis memorabile digne.
Mittit marbodo finis hic esto MODO∴

pulcherrime a Gaulterio quodam versificatore[1]) haud indocto, quae est coniectura valde probabilis Bormansii de hoc codice accuratissime disserentis in 'Compte rendu des séances de la commission royale d'histoire de Belgique ser. II tom. IV', Bruxellis 1852 p. 134 et 139 sq.[2]) e quo codice (fol. 6—62) partem libelli imprimisque physiognomoniam zoologicam p. 137, 3

1) Cf. C. Ferry, de Marbodi Rhedonensis episcopi vita et carminibus, Nemausi 1877 p. 10, qui huius codicis immemor fuit.
2) Cf. etiam Rosium Zeitschrift für deutsches Alterthum XVIII (1875), 383 et (Grandjean), Bibliothèque de l'Université de Liége, Catalogue des Manuscrits p. 264 sq.

—143, 15 Pitra Spicil. Solesm. III p. 321—323, libellum integrum Rosius Anecd. I, 59 sq. publici iuris fecit. ipse codicem anno 1881 Kiliae contuli.

2. Berolinensis lat. qu. 198 (= *B*) membranaceus formae octavae miscellaneus anno 1132 scriptus secundum subscriptionem eadem qua noster libellus manu in fine epitomae rei militaris Vegetii p. 259 exaratam: *Flavii Vegeti renati viri Illustris Liber explicit. Scriptus liber. In era. MCLXX*[1]), a fol. 259 (*Incipit liber Phisiognomoniae*) — 265 partes tantum libelli continet (p. 3, 1—40, 4 et p. 128, 5—131, 13). primus adhibuit Rosius, ipse contuli anno 1882.

3. Oxoniensis Ashmoleanus 399 (= *A*) membranaceus in folio binis columnis nitidissime saeculo XIV descriptus e codice quem anno 1152 exaratum esse indicat subscriptio fol. 13: *Explicit phisonomia anno iesu christi milesimo centesimo LII*, miscellaneus (fol. 1—13). inspexit Rosius, ego anno 1880 Oxonii contuli.

4. Londinensis Cottonianus Galba E IV (= *C*) membranaceus in folio binis columnis scriptus saeculo XIII miscellaneus (fol. 228 col. 2 *Incipit liber phisiognomiae secundum tres auctores. loxum medicum. aristotilem philosophum. palemonem declamatorem* — 233[v] col. 1 *Explicit phisiognomiae secundum tres philosophos liber*), manu secunda saeculi XV correctus. primus usurpavit Rosius, ego anno 1880 Londinii contuli.

5. Erfurtensis Amplon. Fol. 378 (= *E*) membranaceus saeculi XIII exeuntis vel XIV ineuntis, (fol. 19—27), manu secunda correctus et in 115 capita digestus. contuli Kiliae anno 1888.

1) Cf. Grotefend, Handbuch der histor. Chronologie p. 23.

6. Londinensis Sloanianus 3469 (= *S*) membranaceus formae duodecimae saeculi XIV (fol. 25 *Incipit phisnomia palemonis philosophi* — 34 *Explicit phisnomia palemonis philosophi*). primus adhibuit Rosius, ego anno 1880 contuli.

7. Londinensis Harleianus 3969 (= *H*) membranaceus in folio saeculo XIV pulcherrime scriptus miscellaneus (fol. 97—105^v) demum a verbis *pigri temulenti* p. 14, 8 incipit et aeque atque codices *CES* verbis *propemodum prosecuti sumus* p. 108, 10 desinit. primus adhibuit Rosius, ego anno 1880 contuli.

8. Oxoniensis Ashmoleanus 1471 membranaceus in folio duabus columnis scriptus saeculo XIV (fol. 125 *Incipit phisiagonomia aristotilis* — fol. 130 *prosecuti sumus*[1]) (= p. 108, 10). examinavi anno 1880.

9. Oxoniensis colleg. Trinitatis 17 membranaceus formae octavae saeculi XIV (fol. 142 *Ex tribus auctoribus* — 155 *prope modum prosecuti sumus. Explicit*). adhibuit Pitra, ego anno 1880 inspexi.

10. Parisinus lat. 11867, olim in bibliotheca S. Germani a Pratis 376, membranaceus in folio saeculi XIII exeuntis (fol. 241 *Incipit ars et doctrina phisonomie*—243^v *quam graeci* ·EHHaaHti *vocant* (p. 88, 7). adhibuit Pitra, ego anno 1880 examinavi.

11. Erfurtensis Amplon. Qu. 295 membranaceus

1) Verba *Quicunque fimum habent luxuriosi sunt. Explicit tractatus Aristotilis*, quibus Blackius (Catalogue of the Mss. bequeathed by Ashmole col. 1284) libellum in fol. 134^v desinere dicit, ut Fr. Madan mihi scripsit, alterius sunt libelli, qui sequitur inscriptus: *Incipit secunda pars phisiagonomie. De cognicione complexionum corporis* et incipit: *Corporis complexio ex colore.*

formae octavae saeculi XIII (fol. 43^v rubr. *Explicit* (quod correctum est in *Incipit*) *phisionomia aristotilis. Incipit prohemium. Ex antiquis scriptoribus quorum libros* — 51^v *in corporibus graeca mollem et* (= p. 74, 7). anno 1887 examinavi.

12. Marpurgensis B 3^b chartaceus saeculi XV (fol. 36^v *Incipit phisonomia loxi medici. Ex tribus auctoribus* — 44 *prope modum consecuti sumus exemplo* (= p. 108, 10). *Explicit phisonomia loxi medici aristotilis philosophy. Explicit phisonomia subtilis*). anno 1882 examinavi.

13. Oxoniensis collegii Omnium Animarum 74 membranaceus formae quartae saeculi XIII exeuntis vel XIV ineuntis (fol. 251 *Prima autem phisionimie divisio atque discretio est ea, ut unum* (= p. 5, 6) — 257 *temperati verecundum* (= p. 108, 5). anno 1880 examinavi.

14. Londinensis Sloanianus 2030 (*or* 2422) membranaceus formae quartae minoris saeculi XIII (fol. 91 *Incipit physionomia Aristotilis. Ex qualitate corporis proprietates anime licet conspicere* (cf. p. 4, 2) — 99 *nunc repetenda sunt animo que proprie loxus seu aristotiles posuerunt* (= p. 108, 7). mea gratia anno 1884 Carolus Dziatzko inspexit.[1])

15. Erfurtensis Amplonianus Qu. 316 membranaceus formae octavae saeculi XIV (fol. 38^v *Incipit phisonomia de quo est intentio. C. 1 Profitetur phisonomia ex qualitate corporis. qualitatem animi con-*

---

1) Ceterum de hoc codice cf. Rosii Anecd. I p. 88 et II p. 288.

stituere atque perspicere etc. [cf. Rosii Anecd. I, 88.] *c. 2. de capillis. De capillis autem hiis qui cum homine nascuntur* [= p. 22, 3] — fol. 42 *sed temperati verecundum. In omnibus predictis temperamentum est optimum. Explicit physonomia.* [cf. p. 108, 5 et 106, 1]).

Sed ex his ultimi octo codices in crisi factitanda omnino in censum venire non possunt. nam ultimi tres non exemplaria integra, sed epitomas hic illic mutatas atque confusas praebent[1]), et quattuor quos ante hos enumeravi codices (9—12) et corrumpendi omittendique libidine et neglegentia librariorum ita depravati sunt, ut ad probae recensionis fundamenta iacienda nullius usus sint.

Sed etiam codex Ashmoleanus 1471 (8) non solum ex ipso Amploniano Fol. 378 (*E*) vel huius gemello maxima cum incuria descriptus, sed etiam manum interpolatricem expertus est, id quod, quoniam commentationem 'de Apulei quae fertur physiognomonia recensenda' scribens codicis Amploniani cognitione carui, hoc loco paulo copiosius exponendum est.

Codex igitur Ashmoleanus primum cum Amploniano in multis lectionibus singularibus iisque pravis concinit, ut p. 4, 1 *quid sit profiteri phisiagonomie* (*phisiagnomie profiteri E*) pro *quid physiognomonia profiteatur*; p. 4, 3 *in se considerare* pro *considerare*; p. 6, 2 *animi* pro *animus*; p. 6, 3 *corporis* om.; p. 6, 11 *conceptas* pro *concepta*; p. 7, 1 *sillabae consistunt* (*constant E*) pro *constat*; p. 7, 2 *pandimus* pro *pervidemus*; p. 7, 4 *ebetari* pro *hebe-*

1) Cf. de Apul. phys. recens. p. 562.

tari; p. 7, 9 *subdolus et* (*et* om. *E*) *subtilis amarus* pro *subdolus amarus*; p. 8, 2 *professiores* (*processiores E*) pro *impressiores*; p. 8, 9 *et ossibus* pro *ossibus*; p. 8, 11 *in unum* pro *unum*; p. 9, 1 *siccis* pro *siccioribus*; p. 9, 3 *et vocis* pro *vocis*; p. 10, 1 *ac flexibilior atque mollior* pro *flexibilior ac mollior*; p. 10, 3 *cum pallore suffusior* (*fuscior E*) *nigrior* pro *cum pallore nigrior*; p. 10, 5 *vultus omnis inoffensus lenis* (*leonis E*) *serenus mollis atque affabilis* pro *vultus omnis lenis inoffensus ac mollis serenus affabilis*; p. 10, 9 *atque* pro *ac*; p. 11, 1 *circumscripte* pro *circumscripti*; p. 11, 8 *sunt assignata* pro *assignata sunt*; p. 11, 9 *magis edent* (*edent magis E*) pro *edunt magis*; p. 12, 9 *partem* om.; p. 12, 10 et 11 *vel* om.; p. 13, 3 *conterunt* pro *contrahunt*; p. 13, 6 *feminino genere* pro *genere feminino*; p. 15, 3 *aspexisset* pro *perspexissent*; p. 15, 5 *irascenti similem* pro *irascenti*; ib. *cogitanti similem* pro *cogitanti*; p. 16, 3 *ceteris animalibus* pro *animalibus ceteris*; p. 16, 4 *et quae* om.; p. 16, 5 *et sciendum quod non* pro *nec*; p. 17, 9 *comendare* pro *mandare*; p. 18, 1 *ylia* pro *ilia*; p. 18, 5 *sed secundum* pro *secundum* etc. deinde permulta interpolationis indicia praebet prorsus singularia, ut p. 3, 3 *scilicet* ante *Loxi*; p. 4, 3 *oportet* ante *in se considerare*; p. 4, 9 *consuevit* post *diversa dare signa*; p. 5, 8 *quod non eadem ratione sumendum est, quia* pro *quod non ea ratione accipiendum est qua*; p. 5, 11 *comprehendatur* pro *deprehendatur*; p. 7, 5 *vincendi per virtutem modum habens studiosus* pro *vincendi per virtutem studiosus*; p. 8, 9 *nervorum* pro *summorum*; p. 11, 4 *passibus maturatis* pro *passibus*

accuratis; p. 13, 8 *terrestria* pro *terrena*; p. 13, 13 *tria fuerunt genera veteris institutionis* pro *tria genera veteres instituerunt*; p. 16, 1 *fieri* pro *esse*; p. 18, 9 *nec tam parvum est inter cogitantem et saevientem* pro *nec tam parvum interest inter frontem cogitantis et saevientis* etc.

E septem autem qui restant codicibus nullus ad textus recensionem recte faciendam deesse potest, immo vero iis addendus est codex hodie quidem iam non superstes, sed per editionem principem ab eo suspensam nobis cognitus.

Atque haec quidem ab Antonio Molinio Matisconensi Lugduni anno 1549 curata libello continetur qui inscriptus est: *De diversa / hominum natura, / prout a veteri/bus Philosophis ex corporum / speciebus reperta est, / cognoscenda / liber, / Antonii Molinii Matisconensis diligentia nunc primum in lucem emergens. Lugduni, Apud Ioan. Tornaesium. MDXLVIIII. Cum Privilegio ad decennium* et subscriptus in pag. 107: *Finis libri De diversa hominum natura, prout a veteribus Philosophis ex corporum speciebus reperta est, cognoscenda* et in pag. ultima (108): *Lugduni Excudebat Ioannes Tornaesius Typographus XV. Calend. Martii, anno a Christo nato, M.D.XLIX.*[1]) de codice vero

---

1) Quomodo evenerit, ut hunc libellum qui per longam saeculorum seriem plane oblivione obrutus iacebat nostrum opusculum continere discerem eiusque exemplar in regia bibliotheca Berolinensi deprehenderem, 'quaestionibus physiognomonicis' Kiliae 1890 editis p. 1 sq. enarravi.

Uno anno post (1550) hic libellus a Paulo Pintio in linguam vulgarem (italicam) translatus et Catharinae de Medicis, reginae Franciae, dedicatus lucem vidit hoc titulo: *Fisionomia / con grandissima / brevità raccolta da i libri / di antichi Fi/losofi, / Nuovamente fattà volgare per Paolo / Pinzio. Et per*

quo usus est et de ratione edendi Molinius nihil nisi haec in dedicatione *Nobiliss. viro / Francisco Pucrio A / Benaistaya Andegauensi* p. 6 protulit: *Quare Mecoenas* (sic) *Illustriss. cum iampridem in vetustum manu scriptum libellum, eumque anonymum incidissem, qui hac de re non contemnendas, et Laconismo quodam perstrictas traderet rationes, non potui non Physiognomiae* (p. 7 inc.) *studiosis, et tibi praesertim cum aliarum artium, tum huius imprimis curioso, hanc meam in évulgando opellam communicare, alienissimus plane ab illorum ingenio, qui vetera omnia nondum in lucem emissa domi supprimentes, summo nonnunquam literarum emolumento studiosos fraudant: et quod gravius est, ea sibi saepenumero vendicant, suoque nomine in vulgus edunt, quae aliorum non aestimandis sudoribus sunt conquisita. Erit fortasse, ubi concisas plus aequo hîc repe-*

---

la diligenza di M. An/tonio del Moulin messa in luce. / In Lione, / Per Giovan di Tovrnes. / MDXXXXX. / Avec Privilege du Roy pour dix ans et hac subscriptione pag. 109: *Il fine del libro di conoscer la diversa na/tura dell' huomo, come dalle qua/lità de corpi, ella fu ritro/vata da gli antichi / Filosofi* et in tergo huius paginae: *Stampato in Lione per Giouan / di Tournes à di .V. di Marso, / M. D. XXXXX.* in 'quaestionibus physiognomonicis' p. 2 sq. de hoc libello item rarissimo ex iis rettuli quae Caroli Castellani comitate ex exemplari bibliothecae nationalis Mediolanensis Braidensis descripta habebam. paulo autem post Omontius alterum exemplar bibliothecae nationali Parisinae emit et, qua est erga me liberalitate, ad me transmisit, e quo hoc loco nonnulla emendatiora praebere potui. — Opus Rodolphi Goclenii, professoris Marpurgensis, Francofurti anno 1625 et Hallis Saxonum 1652 emissum sub titulo: *Physiognomica et Chiromantica Specialia, Hactenus Tanquam Secretissima suppressa, nunc vero primum velut publicum bonum, naturalis Divinationis Studiosis donata, et in lucem emissa, a Rodolpho Goclenio M. D. et Profess. in Acad. Marpurgensi* maxima e parte editionem latinam Molinii repetivit. cf. quaest. phys. p. 8.

rias aliquando sententias, et nonnullas, Graecarum praecipue vocum salebras, quas ne latum quidem unguem ab archetypo deflectentes, mutilas potius relinquendas duximus, quam de nostro substituentes remotas interim, aut alienas (ut varium hac in re multorum est iudicium) autori sententias invehere. e larga copia vitiorum quae cum in graecis tum in latinis vocibus incorrecta reliquit, quamquam, si voluisset, facillime corrigere potuisset, quam maxime probabile reddidi quaest. phys. p. 7 sq. Molinium promisso stetisse atque omnia fere ut in suo codice invenerit praebuisse exceptis rebus orthographicis, in quibus consuetudini suae aetatis plus quam exemplari tribuit scribens, ut nonnulla proferam, *foemina*, *praehendo*, *set*, *conjicere*, *intellego*, *physiognomia* et *Polemo*, de qua nominis forma eum melius edoctum esse supra p. CXL not. 2 conieci. codex autem quo usus est vel propter hanc causam, quod multa enuntiata vel vocabula solus praebet, pro nullo superstitum haberi potest, sed, ut mox accuratius exponam, singularem habet auctoritatem atque praestantiam.

Iam ut appareat, quo iure neque hunc neque unum e septem illis codicibus quos supra enumeravi in apparatu editionis vere criticae deesse posse dixerim, iter quo libellus ad nos pervenit paucis illustrandum est.

E codice archetypo (*o*) duo apographa facta sunt: quorum prius (*s*) qui fecit id fere egit, ut verba religiose describeret, qui vero alterum (*x*), magna cum temeritate operam in corrigendo et mutando posuit. utrumque apographum periit, sed e codicibus qui ex iis


manaverunt recuperari potest. atque e *s* transscriptus est et codex Leodiensis (*L*) atque is quidem ita, ut librarius nonnulla tentaret et mutaret, et alter codex (*t*) qui periit; ex hoc autem fluxit et codex Molinii (*Mo*) et codex (*u*), qui item periit, fons communis codicum superstitum Berolinensis (*B*) et Ashmoleani (*A*). plane eadem ratione e *x* transscriptus est et codex Cottonianus (*C*) et alter codex, qui periit (*y*); ex hoc autem fluxit et codex Erfurtensis (*E*) et codex qui item periit (*z*), fons communis codicum Sloaniani (*S*) et Harleiani (*H*).

Propaginum igitur quas archetypus libelli habuit imaginem ex stemmate[1]) percipies quod p. CLVI exstat.

Ad quod defendendum et accuratius explicandum haec addo.

Est sane *x* familia codicum plurimum interpolata, sed aeque atque *s* ex ipso archetypo *o* fluxit et quoniam codicis *t* apographa truncata ad nos pervenerunt atque ne *L* quidem codici manus interpolatrix pepercit, suam auctoritatem habet. quod primum hac re demonstratur, quod plus semel ordinem genuinum partium, qui in *s* temeratus est, praebet, deinde iis locis vel vocabulis quae solus servavit, ut p. 43, 2—4 *Palemon auctor huius speciei exemplum ex homine temporis sui posuit, quem sceleratissimum fuisse asseveravit,* quorum praesidium versio Polemonis arabica fol. 9ᵛ

1) Paululum ab eo distat quod de Apul. phys. p. 563 delineandum curavi, quoniam postea tantum et codicis Erfurtensis et editionis Molinianae notitiam nactus sum.


L
Mo
t
s
B
u
A
o
C
x
E
y
S
z
H

p. 126, 15 sq. suscipit, aliisque quae de Apul. phys. recens. p. 564 sq. in medium protuli.

Iam si de ratione quae inter singulos huius familiae codices intercedit quaerimus, *S* et *H* non ex ipso *x*, ac ne ex *y* quidem, sed ex huius apographo *z* fluxisse demonstrant verba in utroque omissa vel depravata quae et in *C* et in *E* recte exstant. neutrum autem ex altero descriptum esse apertum fit multis vocabulis quae in altero exciderunt vel corrupta sunt, in altero recte leguntur, etsi negari non potest *H* codicem neglegentia et prava mutandi libidine plus detrimenti cepisse quam *S*.[1])

Sed etiam codex Erfurtensis (*E*) tot locis in lectione vel recta vel falsa contra *C* codicem cum *z* concinit, ut quin ex eodem quo *z* fonte fluxerit dubitari non queat. pauca hoc loco exempla lectionis iustae protulisse satis erit. *E* cum *z* recte praebet quae in *C* omissa sunt p. 25, 4 *superior*; p. 53, 6 *iuxta*; p. 56, 12 *quidem*; p. 76, 5 *enim*; p. 96, 1 *dementes*, vel quae in *C* corrupta sunt p. 26, 2 *sensibus* (*sensum C*); p. 37, 2 *hominem* (*virum C*); p. 38, 1 *indicare* (*habere C*); p. 39, 1 *in estu* (*mesti C*); p. 51, 10 *tenebrosi* (*tenebrosorum C*); p. 64, 12 *leopardo* (*leoni pardoque C*); p. 95, 1 *captans* (*capiat C*).

Quae autem manu secunda, quam *e* littera insignivi, in margine codicis *E* positae sunt scripturae, ut ex anteposito *In alio* patefit, ex alio quidem codice sumptae sunt, sed magna e parte temeritati eius qui hunc scripsit debentur vel maximas muta-

1) Cf. de Apul. phys. p. 566 sq.

tiones non aversantis. qua re explicatur, quod frequenter a scripturis reliquorum codicum multum recedunt, ut p. 5, 9 *qua naturaliter sexus discernuntur* pro *qua naturaliter sexus et genera discreta sunt*; p. 6, 2 *in secundo* pro *econtra*; p. 7, 6 *maximus* pro *magnanimus*; p. 9, 5 *depressior* pro *densior*; p. 16, 4 *Sed propositis generalibus signis* pro *quae generalia (generaliter E) posuimus*; p. 18, 3 *et furentium* pro *et fronti*; p. 23, 4 et 12 *depressi* pro *densi*; p. 24, 7 *depressiores* pro *densiores*; p. 24, 1 *curiosum* pro *calidum*; p. 25, 11 et 12 *nimis* pro *satis*; p. 28, 9 *frons in medio tanquam constricta. conveniens: iracundum designat* pro *quibus frons in medium tanquam obstricta convenit, iracundi sunt*; p. 30, 3 *directi* pro *retracti*; p. 32, 5 *pupille iacentes pene varietatem indicant* pro *pupillae iacentes porrecte vanitatem detegunt (indicant E)*; p. 40, 8 *ut gutte quidem* pro *gutte quedam*; p. 43, 7 *invidiosum* pro *iniuriosum*; p. 47, 3 *inpudentiam et iniquitatem ostendunt* pro *impudentiae et iniquitatis esse designant*; p. 55, 1 *superstitiosum* pro *sine sensu perspicaci*; p. 96, 7 *passuum* pro *pedum*; p. 107, 6 *intemperamentum lingue atque iracundie nunciat* pro *intemperatum iracundie atque linguae (lingua iracundum E) nuntiat.*

Codicem Cottonianum (*C*), quoniam frequenter cum *s* concinit, ubi librarius apographi deperditi *y* novavit, ex ipso *x* fluxisse non est quod multis exponam. quod autem de Apul. phys. p. 568 conieci lectiones quas manus secunda correctrix (= *c*) non semel cum nota *in alio* anteposita praebet e codice manavisse qui cum *S* cognatus fuerit, id nunc cogni-

tionem codicis Erfurtensis (*E*) nactus paulo accuratius definire possum. *E* enim codicem illae pro fonte habuerunt, siquidem exceptis paucissimis quas corrector suo Marte induxit (ut p. 8, 9 inseruit vocem *vel*, ubi *E* praebet *et*, p. 64, 6 *alium*, ubi *E aliud*, p. 41, 1 *item* et p. 73, 8 *et*, quae in *E* desunt, p. 78, 3 *partim* correxit in *parum*, ubi *E* praebet *partim*) omnes etiam quibus nota *in alio* non addita est, in solo codice *E* exstant. quae sunt p. 6, 6 *consistunt*; p. 18, 4 *equum*; p. 21, 1 *et*; p. 26, 6 *fere*; p. 32, 2 *magis*; p. 32, 6 *indicant*; p. 39, 6 *alii sunt*; p. 44, 8 *concumbentem*; p. 47, 5 *nihil* omissum vel deletum; p. 47, 12 *quod concavi*; p. 47, 13 *parvi cavi*; p. 48, 5 *defluunt*; p. 48, 9 *coinquinatorem*; p. 54, 14 *humidi*; p. 55, 1 *sine sensu perspicaci*; p. 74, 7 *hominem significat*; p. 81, 10 *incorporati*; p. 83, 1 *immoderato*; p. 84, 1 *veneris*; p. 84, 10 *praescientis*; p. 94, 1 *signum*; p. 94, 13 *prima species*; p. 97, 10 *prave*; p. 105, 7 *ut et.* p. 31, 2 pro *arguit*, quod in *E* est, *c* sensu privum *argutum* praebet. atque quoniam quattuor (p. 76, 1 *verborum*; p. 102, 9 *immanis*; p. 58, 8 *dicit palemon*; p. 77, 7 *timidum*) non in textu codicis *E*, sed in margine atque duae priores cum nota *in alio* exstant, elucet hunc codicem postquam manum correctricem (*e*) expertus sit, a correctore *C* codicis (*c*) adhibitum esse.

Iam, ut ad *s* familiam transeamus, Berolinensem codicem (*B*) et Ashmoleanum (*A*) ex eodem fonte (*u*) repetendos esse e lacunarum et vitiorum communione, quam de Apul. phys. p. 570 exemplis illustravi, sequitur. neutrum autem ex altero descriptum esse

lacunae et peccata quibus alternis vicibus laborant produnt, quamquam concedendum est librarium codicis *A* non solum multo neglegentius, sed etiam audacius munere suo functum esse.[1])

Medium inter *u* et *L* locum codex Molinii (*Mo*) tenet.

Is quin ab *u* proxime absit propterea dubitari non potest, quod cum in plurimis lectionibus tum in lacunis et ordine quo partes opusculi sese excipiunt cum *A* et *B* codicibus congruit. omisit enim *Mo* cum *AB* verba p. 10, 8 *et brevius*; p. 10, 9 *usque* (alterum); p. 11, 5 *feminino generi*; p. 23, 3 *ad Syrorum qui sunt* et deficiente *B* cum *A* § 25—48; p. 69, 6 inde a *Σπασμοὶ labiorum* usque ad 11 *somno est deditus*; p. 69, 13 *crassae nares* usque ad 70, 2 *ita sunt*; p. 73, 1 *cervix* usque ad 3 *praedicat*, et praebet cum *AB* finem inde a p. 128, 5 post p. 40, 4 et deficiente *B* cum *A* p. 68, 8 usque ad p. 128, 4 post p. 145, 8. sed codicem Molinii non ex *u* transscriptum esse vel haec res docet, quod multa habuit, quae in *A* et *B* desunt, aeque atque in eo deerant, quae in his exstant (ut p. 5, 1 *qui speciem ex vasculo*; p. 31, 5 *si oculi*; p. 129, 15 *deformis*; p. 130, 5 *autem*), et quod multas genuinas lectiones, quae ab his absunt, servavit. idem igitur exemplar quod librarius apographi *u* usurpavit, sed multo maiore cum fide reddidit. itaque non solum saepissime contra *u* cum *L* concinit, sed ne tales quidem desunt loci, in quibus cum *x* lectionem genuinam praebeat, quia *L*

1) Cf. de Apul. phys. p. 570.

vel corruptus est vel e duabus archetypi lectionibus alterutram tantum recepit. nam iam archetypum tales lectiones duplices exhibuisse multi loci probant, quibus lectio *x* familiae particula *vel* addita supra lectionem textus in *L* codice reperitur, ut p. 24, 10 *a fronte* supra *supra frontem*; p. 28, 11 *rugas frontis* supra *rugosas frontes*; p. 34, 5 *facto* supra *eventu*; p. 37, 9 *tepentes* supra *torpentes*; p. 39, 6 *plures* supra *multas*; p. 58, 12 *vendere* supra *vendicare*; p. 103, 3 *tendit* supra *erigit.*[1]) ita explicatur, quod p. 104, 5 *L* *vel more* *inmodum*, *Mo* et *x* *in modum*, *A more* praebet, vel quod p. 15, 10 in *Mo* et *x* est: *ad similitudinem animalium referuntur* (*referunt x*), in *A hominum ad similitudinem pronuntiantur animalium*, in *B ad similitudinem pronuntiantur hominum*, in *L ad similitudinem hominum pronunciantur*, vel quod p. 103, 9 *Mo* et *x ingratus*, *L* et *A in gutture*; p. 104, 5 *Mo* et *x horum et iusti mores sunt*, *L* et *A morumque* (*morum A*) *iustorum* praebent.[2])

Itaque cum librarius codicis *Mo* id potissimum egerit, ut exemplar quam diligentissime redderet, non modo in fine, qui in *x* deest, sed etiam in ea opusculi parte, quae in libris *x* familiae superstes est, *Mo* solus lectionem genuinam servavit. quin etiam non solum unus multas voces cum latinas tum graecas exhibet, verum etiam integra capita ex eo primum lucem acceperunt, id quod exemplis gravissimis quaestt. phys. p. 5 sq. ostendi. itaque si de lectionum ipsarum

1) De aliis cf. de Apul. phys. p. 574.
2) Pluribus de hac re disserui quaestt. phys. p. 4 sq.

praestantia quaeritur, palma huic codici danda erit. nam, ut dixi, ne Leodiensis quidem codicis librarius interpolandi libidinem omni ex parte coercuit.[1]) maxime igitur dolendum est, quod *Mo* non opusculum integrum vel, ut accuratius dicam, saltem aeque integrum atque *L* continet. nam finis eius in nullo codice exstat, id quod omnes ex eodem archetypo fluxisse demonstrat. praeter finem vero non ita multa in archetypo exciderunt, ut § 28 p. 44, 5 post verba *iuxta pueros* vox *dementem* vel similis, plura § 32 p. 49, 8 post verba *et sicci sint*, § 39 p. 56, 13 post *insaniam*, § 40 p. 57, 14 sq. post *gratiam* et post *congruunt*, § 45 p. 64, 2 post *declarat*, § 48 p. 67, 13 post *parvum os sit*, § 104 p. 128, 4 post *efferati sunt*, quae tamen nos permovere non possunt, ut cum Ferd. Maiero l. l. p. 23 textum quondam multo integriorem fuisse censeamus.

Sed in singulis verbis textus archetypi labem contraxit. itaque subsidia ad eam sanandam circumspiciamus necesse est. sed ea spes irrita fit. nam qui olim opusculo usi sunt scriptoribus neque integrius neque emendatius exemplar praesto fuit. immo vero id familiae deterioris *x* fuit.

Atque Aegidius quidem Corboliensis, sub Philippo Augusto medicus Parisinus, in 'metris de physonomiis', quae librum quartum operis de signis morborum efficiunt, nostrum opusculum codice simili Cottoniani usus multis e Rasis[2]) physiognomonia insertis

---

1) Cf. de Apul. phys. p. 573 sq.
2) Cf. v. 198 (Rosii Anecd. I, 181) *doctique Palemonis artem.* — v. 34 *divini miranda Rasi documenta recensens.*

secutus est[1]), sed, ut imprimis versus 82 sq. et 511 sq. demonstrant, tam libere, ut in crisi factitanda nobis nullius usus esse possit.

Neque multo aliter res se habet in Arnoldo Saxone, qui in caput secundum (*de natura operacionis hominis*) libri sexti operis inscripti de floribus rerum naturalium[2]) nonnulla e nostro libello recepit, quem semel (fol. 20 col. 2) *librum physionomii Loxi*, semel (fol. 20[v] col. 1) *librum physionomie Palemonis* nuncupavit. prima sententia est (fol. 20 col. 2): *In li physionomii loxus sanguinem anime habitaculum esse constituit ex qualitate corporis speciem immutari, sicut humor constitutus in vasculo qui speciem exvasculo mutatur, et sicut spiritus infusus fisticula vel tuba vel in tybia nam cum uniformis sit spiritus diversum tamen fistula sonat tuba et tybia* (cf. p. 4, 4 sq.), ultima

1) In enuntiato p. 26, 9 *caput immensum stultum et stolidum et indocilem vehementer ostendit*, quod v. 100 expressit: *si capud immensum, stultum stolidumque fatetur*, e codicibus *x* familiae vocabula *stultum et* unus *C* servavit, reliqui omiserunt, et in enuntiato p. 70, 2 *cum imae nares solidae tanquam obtusae et rotundae sunt, fortem et magnanimum dicunt. huiusmodi nares sunt leonibus et canibus generosis*, quod v. 175 sq. reddidit: *obtuse et solide nares multumque rotunde / magnanimum fortemque virum testantur abunde, / ingenuos qui corde canes validosque leones / exemplat, quibus est conformis imagine nasi*, tantum *CE canibus*, *SH avibus* praebent. in enuntiato p. 51, 9 *supradicta species oculi id est tenebrosi, si cavus, temperatae magnitudinis et quietus fuerit, sollicitum, docilem, visendi cupidum, maturum, verum timidum et satis parcum ac nimis continentem significat* vocem *maturum* offensioni esse sensit et *maturum sive modestum* (v. 508) scripsit.

2) Operis nondum typis mandati codice usus sum Amploniano Oct. 77 membranaceo saeculi XIII exeuntis vel XIV ineuntis. de Arnoldo cf. Rosium Zeitschrift f. deutsches Alterthum XVIII, 324 sq. et Aemilium Stange, Arnoldus Saxo, Halis 1885.

(fol. 21 col. 1): *In eodem pa. ungues albi et lati et subrubentes opptimi ingenii indicium est. angusti et longi stoliditatis indicium est. qui inflexi et graves sunt imprudentes et rapaces nimium / breves unges malignum delectant idem / et palledi et nigri asperi qui rotundi sunt in venerem proni sunt* (cf. p. 81, 5 sq.), atque usus quidem est codice simili atque *E*. nam cum hoc solo concinit in pravis lectionibus *indicant* pro *declarant* (p. 23, 5), *et* pro *sed et* (p. 30, 1), *defluunt* pro *difflunt* (p. 48, 5), *sunt signa* pro *indicium habent* (p. 66, 2), *cum* pro *quando* (p. 67, 7), *cum* pro *qui* (p. 68, 9), *sunt maligni* pro *maligni sunt* (p. 68, 9), *sint* pro *sunt* (p. 70, 13), *mentes* pro *mores* (p. 72, 3), *et subrubentes* pro *subrubentes* (p. 81, 5), *indicium est* pro *dant indicium* (p. 81, 6). sed etiam lectiones genuinas vel minus corruptas quam *E* praebet, ut p. 26, 3 *sine sapientia* (*et sapientia E*), p. 65, 9 *indices* (*indicium E*), p. 70, 13 *directae sint* (*sint directae E*), p. 72, 1 *invidiosi* (*invidi E, insidiosi LMoA*), p. 82, 9 *tenues stultum, parvi et* (om. *E*). sed, id quod gravissimum est, Arnoldus verborum contextum cum mutando tum omittendo temeravit. conferas enim

La	Arn.
p. 22, 9 *capilli molles et* (om. *x*) *ultra modum tenues rubei et* (om. *x*) *rari penuriam sanguinis, enervem, sine virtute* (*sine virtute* om. *x*) *ac femininum animum indicant et quanto*	*capilli molles tenues rubei rari femineum animum et subdolum significant.*

La	Arn.
rariores fuerint, tanto magis subdolum.	
p. 28, 8 *quibus frons tanquam obducta est capite imminente, insolentes sunt. quibus frons in medium tanquam obstricta convenit, iracundi sunt.*	*quibus est frons tanquam obducta iracundi sunt.*
p. 35, 1 *sed qui etiam pallent, horum non tam minus sanae mentes sunt, quam potius attonitae.* p. 38, 1 *oculi vagi et circumerrantes et obscuriores intemperantiam libidinis arguunt.*	*et qui pallent oculi vagi et circumerrantes intemperancia libidinis arguuntur.*
p. 35, 6 *oculi stantes subrubentes libidinosum et voracem denuntiant.*	*oculi stantes et subrubentes libidinosum voracem garrulum et vinolentum ostendunt.*
p. 35, 12 *oculi stantes perbreves avarum, lucrorum vehementer cupidum appetentemque declarant.*	*oculi stantes et breves avarum indicant.*
p. 71, 5 *nares patulae alacritatis et fortitudinis indicium produnt.*	*nares pande alacritatis et fortitudinis.*

Sed ne Albertus quidem Magnus plus opis nobis fert, cum in primo libro operis de animalibus scripti tractat. 2 cap. 2 sq. et tract. 3 cap. 7 (opp. tom.

VI ed. Lugd. 1651 p. 20 sq. et p. 95) nostrum opusculum expilaverit quidem codice simili Cottoniani usus[1]), sed ita, ut permulta valde mutaret, id quod propter C. Haeberlinum commemoro, qui nihil lucri ex Alberti lectionibus capi posse aegre sibi persuaderi professus est.[2]) nam conferas exempli causa quae de ultima capillorum linea leguntur

La	Albert. I, 2, 2 p. 21ᵃ 34
p. 24, 8 *cum autem ultima linea capillorum capitis fronti imminet, animosum ac* (*et C*) *semiferum* (*miserum x*) *indicat hominem. cum autem a fronte recedit, minus calidum et parvi intellectus animum* (*hominem y*) *declarat. ultima linea capillorum ex parte posteriori cum per mediam cervicem demittitur atque in acutum longius desinit, calidum, insipientem, libidinosum animum indicat. ultima linea capillorum ex posteriori parte cum longe superior a cervice est,*	*si autem linea ad quam capillorum terminatur generatio, descendit et imminet fronti, praetendit hominem animosum et misericordem. si autem e contra exaltatur a fronte, significat callidum* (*calidum* ed. Mant.) *et decalvabilem et parvi intellectus hominem. si autem ultima linea post occiput ad quam desinit capillorum generatio, descendit versus cervicem, indicat callidum in nequitiis et insipientem in bonis et libidinosum. si autem eadem linea multum exaltatur a*

1) Cf. de Apul. phys. p. 569.
2) Wochenschrift für klass. Philologie V (1888) n. 41 col. 1260.

La	Albert.
tardum, timidum, femineum, iracundum animum indicat	*cervice, significabit foemineum, timidum, tardum et iracundum*

vel quae de capite leguntur

p. 26, 1 *caput cum aliquanto* (*aliquando C E*) *maius est quam exigit modus, sensibus* (*sensum C*) *viget* (*auget x*), *sed et virtutem et magnificentiam indicat. caput breve sine sensu, sine* (*et E S*) *sapientia est. caput prolixum imprudentiae* (*impudentiae x*) *signum est. caput humile planum insolentiae nota est. caput breve prope rotundum impudentiae argumentum est: refertur ad rapaces aves. caput moderatum ingenium indicat sapiens et vigens* (*ingens E*) *sensibus, aliquando tamen timidum et minus* (om. *x*) *liberale. caput immensum stultum* (om. *y*) *et* (om. *x*) *stolidum et indocilem vehementer ostendit. caput obli-*	p. 21ª 53 *caput autem cum aliquando maius est quam congruit, sensus augmentum et virtutem et magnificentiam indicat, sicut dixit Loxus. si tamen enorme sit caput, ex ventositate impedit sensum et virtutem, et pondere suo inclinabitur ad humeros. caput autem globosum breve, sine sensu et sapientia et memoria est, et imprudentiae est signum. caput autem enormiter prolixum est impudentie signum* (hoc enuntiatum addidi ex edd. Mant. et Ven.). *et si sit humile superius et quasi planum, insolentiae et dissolutionis dat indicia. si autem sit moderatum, bonum indicat ingenium et magnum sensum, aliquando tamen invenitur timidum et liberale.*

La

quum impudentiam designat. caput ex priori parte eminens insolentem (insolertem C) notat. caput ex posteriori parte concavum dolosum (dolis (dolo E) x) et iracundum indicat (iracundie deditum x). caput magnum cum fronte lata et omni vultu prominenti (om. x) tardum, mansuetum, fortem (et inser. E, aliquando inser. e) indocilem hominem demonstrat. refertur ad bovem. caput malleo simile (promtum hominem inser. x) ante ac retro ⟨prominens⟩ impudentem (om. x) monstrat (indicat x). caput rectum quod sit in medio leniter (lene C E) humile (om. x) ac prope planum, aliquanto maius quam si sit mediae magnitudinis, sensibus vigentem (viget x) magnanimumque (magnanimitatemque x) declarat

Albert.

immensum autem est stultum, stolidum et vehementer indocile. caput autem obliquae mensurationis designat impudentiam et si emineat in prima parte, insolentiam dicit. caput autem quod in posteriori parte est vallicosum, quasi sit concavum, dolis et iracundiae est deditum. caput autem magnum cum lata fronte et vultuositate magna tardum, pigrum et aliquando demonstrat indocilem. caput autem oblongum aliquantulum et malleo simile providum hominem circumspectum ante et retro indicat. caput etiam rectum quod in medio est planum et mediae magnitudinis, sensibus viget et magnanimitatem declarat

vel quae de oculis stantibus leguntur

p. 36, 6 oculi stantes

p. 23^a 3 oculi autem glauci,

La	Albert.
glauci sine splendore (in splendore glauci micantes C in splendore glaciei micantes E S in splendore micantes H) indicant hominem dolis (dolosum S) et audacia plenum, pervigilem et exquisitorem malitiae. oculi stantes parvi humidi, frons relaxata, palpebrae mobiles indicant hominem docilem, cogitatorem, natura disputatorem	*splendore tamen micantes dolosum et audacem designant et pervigilem ad malitiam. oculi autem stantes parvi cum fronte relaxata et palpebris mollibus indicant docilem cogitatorem mathematicorum et de natura inquisitorem*

vel quae de oculis cavis leguntur

p. 47, 12 *nam quod cavi sunt, mali nota est; quod maiores et humidi sunt, revocat ac reformat vitium. oculi cavi parvi subdoli sunt atque (revocat — atque* om. *C) invidi*	p. 24ª 1 *qui autem cavi sunt oculi, mali notam habent: et quo maiores sunt et humidiores, eo plus signant invidiam*

vel quae de naribus leguntur

p. 71, 3 *curvae nares, quas Graeci γρυπὰς vocant, magnanimis attributae sunt, humiliores, quas Graeci σιμὰς dicunt, libidinosis*	p. 34ª 38 *aquilae enim nares nagnanimis attributae sunt, ut dicunt Loxus et Philemon. simiae autem, ut iidem testantur auctores, libidinosis conveniunt*

vel quae de voce leguntur

La	Albert.
p. 103, 8 *et quorum sonus ingratus est, sive sit solidus sive sit* (om. *x*) *ovium voci proximus, stultitiam indicat.*	p. 38^b 14 *quorum autem sonus vocis indelectabilis est sive stolidus sive ovium aut caprarum voci similis existens, stultitiae habet indicium.*

Simili codice usus simili licentia atque Albertus verba libelli nostri tractavit Petrus Padubanensis (vel Paduanensis vel Patavinus vel Apponus vel Aponensis) de Abbano (vel Abano vel Apano vel Padua) in libro phisionomiae anno 1295[1]) Parisiis

1) Hunc annum exhibet subscriptio codicis Parisini Sorb. 841 fol. 112^v, cuius notitiam benevolentiae Valentini Rosii debeo: *Explicit liber compilationis physionomie per magistrum petrum de padua. Anno domini M. CC. nonagesimo quinto die. XXIII. mensis maii.* Annus 1335, quem nominat editio, quae unica mihi praesto fuit, *Venetiis per Cominum de Tridino Montisferati, Anno domini M. D. XLVIII* curata in titulo: *Decisiones physionomiae praestantissimi viri ac sapientissimi philosophi Petri de Abbano sive apponi civis Patavini. in civitate Parisiensi scriptae anno a nativitate domini nostri ·M.CCC.XXXV· Pisiensi studio edito, nuperrimae vero a Blondo medico in altissimis speleis compertae inque lucem productae in utilitatem mortalium* et in subscriptione: *Explicit liber decisionum physionomiae petri de Abbano Patavini scriptus anno .M.CCC.XXXV. Pisiensi studio edito etc.* errore continetur, quoniam Petrus iam anno 1316 mortem obiit. — exstabat liber olim etiam in codice Amplonii de Berka Math. 29 (Schum catal. p. 802) et exstat in Monacensi lat. 637 fol. 12 saec. XV, non exstat in Gandensi 137 (Saint-Genois, Catal. des Mss. de Gand p. 461), de quo supra p. LV sq. egi. — fol. 10^v 16 (*Arist. in problematibus, in cuius quidem libri expositione ⟨inter?⟩ hos duos unam communem concordiam adnotavi*) auctor ipse ad suum in Aristotelis Problemata commentarium provocat.

conscripto, qui in prooemio (fol. 1ᵛ 5) *exordiar*, inquit, *preintentam considerationem gravissimorum veterum sententiam imitando philomonis antiquissimi Aristo. philosophi, Palemonis declamatoris, Loxii medici qui fuere huius inquisitionis primitus fundatores, denique Rasis Zachariae Avic. et ceterorum qui de hac ipsorum recepere sermones. Eorumque etenim verba partita in unam lucidam et perfectam coacervabo doctrinam*, propositum autem ita exsecutus est, ut nostrum libellum assumpto Alberto[1]) pro duce primario haberet, in speciebus describendis Pseudaristotelis physiognomonicorum versionem latinam, Rasis physiognomoniam sequeretur, Secretum Secretorum passim, Avicennam raro adhiberet. quos laudavit locos libelli nostri eum non, quae fuit Rosii l. l. p. 76 opinio, soli Alberto debere, sed codicem ei praesto fuisse statim intelleges, ubi duos locos quos supra p. CLXVI sq. exscripsi cum his comparaveris:

fol. 5ᵛ 13 *cumque linea ultima capillorum fronti iminet, animosus talis ex hoc ostenditur. Si enim econtra a fronte recedit, calidum et parvi intellectus hominem demonstrat. Siquidem ultima littera* (corr. *linea*) *post sinciput ad quod terminatur capillorum origo descendit versus cervicem, in nequitiis callidum nunciant insipientem in bonis et libidinosum. Et si quod ultima littera* (corr. *linea*) *capillorum et* (corr. *ex*) *priori parte cum longe superior a cervice est, tardum, timidum foemineumque animum demonstrat.*

fol. 10ᵛ 9 *Magnum caput ultra rationem condignam sensum adauget virtutem quae* (corr. *virtutemque*) *etiam*

1) Cf. verba *et ceterorum qui de hac ipsorum recepere sermones.*

magnificentiam denotat dum tamen virtutis bonitate et non materiae molle tale consistit constiterit. — Caput quod breve maximae quae (corr. *maximeque*) *conspicuum sit virtute et sapientia hominem denotat quod in gentibus refertur capadocum. — Caput quod inepte prolixum, et organizare, obliquum impuditiae* (corr. *impudentiae*) *signum existit. Quod si humile et planum fuerit, insolentiae et dissolutionis est nota. Similiter et eminentia in priori parte retinens insolertiam dicunt testare. Caput quoque in anteriori parte valle quadam concavum dolosum denotat et iracundum. Caput magnum cum frontis latitudine et vultu quasi gigantis tardum mansuetum fortem et indocilem denotat quod et bovis accipit rationem. Caput tamen longum aliqualiter protensum ut maleolo sit simile qualia tuscorum sunt capita providum denunciat et circumspectum. Caput rectum in medio leve et fere planum media quidem magnitudine maius sermonibus ingentem et magnanimum denotat. Caput quoque ad omnia mensuratum ingenio denotat excellentem sensu perspicacem et liberalem et interdum timidus reperitur.*

Ex Alberti autem opere hausit auctor phisonomiae regiae[1]), quae scripta est '*in perpetuam*

1) Fol. 1 '*Sequentes igitur philosophos Aristotilem Avicennam Constantinum Albertum Phylomonem Loxum Palomonem, Meliora que in scriptis eorum reperimus sub brevitate huic operi apponemus*' et fol. extr.: '*Divina igitur annuente gratia multa inquisitione habita ex pluribus libris philosophorum hunc libellum qui phisonomia regia intitulatur collegimus in perpetuam memoriam*' etc. '*Explicit liber de phisonomia. Liber enim dividitur in tres partes. In prima parte traditur videlicet Lapidarius aristotilis. de novo a greco translatus. cum omnibus aliis lapidariis et eorum dictis in uno quoque lapide* etc. *Tertia pars est de ipsa met phisonomia. et incipit ibi Restat de signis phisomie.*'

memoriam excellentissimi principis domini wenceslay secundi regis bohemorum ut bonos noscat et se ipsis sociare valeat et fugere consorcia impiorum'[1]) et partem efficit tertiam operis maioris, cuius prima est 'Lapidarius aristotilis', anno 1473 Merseburgi typis mandati (*Anno domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo tercio in vigilia XI milium virginum completum est praesens opus In Civitate Merszborg*).

Etiam Matthias ille Farinatoris[2]) de Vienna ordinis beatae Mariae de monte Carmeli frater tantum ex Alberto, ut videtur, captam notitiam nostri libelli praebet in libro quem iussu pontificis Iohannis XXII (1316—1334) compilavit inscripto: *Liber moralitatum elegantissimus magnarum rerum naturalium lumen animae dictus*, sed nullam fidem merentur singula quae profert haec tit. VII fol. 71ᵛ col. 1 l. 8 (ed. s. l. a. 1482): *oculi corporales profundi non tumentes nec ad exteriora prorumpentes acutius vident quam oculi magni et ad exteriora prominentes, ut recitat Loxus in phisonomia* (cf. p. 48, 14 sq.); tit. L fol. 153ʳ col. 1 l. 32 *Loxus in phisonomia palemonis. Pectora valde erecta in altum versus mentum audaciam indicant et mentis inertiam arguunt et demonstrant*; tit. LI fol. 154ʳ col. 2 l. 13 *Loxus in phisonomia palemonis. Hi igitur qui languent cum aut penitus non audiunt aut difficulter audiunt indicium mortis preferunt sibi in proximo accidentis;* tit. LI fol. 155ʳ col. 1 l. 29

1) Auctorem mox post Wenceslai mortem (1305) scripsisse error est Rosii l. l. p. 76.

2) Cf. Rosium l. l. et Burdachium Centralblatt f. Bibl. VIII, 20 sq. et 145 sq.

Loxus in phisonomia. Elegantis nature indicium est et signum: dum quis humanos fletus audiens et dolores in intimis suis contrahitur: et ut compatiens dolenti homini contristatur; tit. LVII fol. 168^{v} col. 1 l. 33 *manus lata et spissa longevitatem praesignat, testante Palemone in phisonomia loxi*; ib. fol. 169^{r} col. 1 l. 2 *Loxus in phisonomia palemonis. Longa habere brachia elegantissime indicia sunt nature* (cf. p. 79, 8 sq.); tit. LXIII fol. 175^{r} col. 2 l. 23 *De primo sic ait Loxus in phisonomia palemonis. Sapientes quidem inclinant capita sua et hoc ex continua meditatione et speculatione qua incunctanter lucent ipsi sapientes*, et fictum est, quod *Palemonis de signis naturarum* librum a se ipso e graeco in latinum conversum esse iactavit in prologo fol. 34^{v} col. 1 l. 36 *Palemon autem de signis naturarum. Et Morienes de zonis et climatibus mundi. Belinus quoque de inventione artium nondum translati erant quos de greco proprio labore transtuli in latinum.*

Itaque menda illa archetypi ipsi tollere debemus. cui muneri pro parte virili satis fecit Valentinus Rosius, qui primus totum opusculum, quoad in Leodiensi codice servatum est, in lucem protraxit Anecd. I p. 59—170; pauca ante eum correxerunt Pitra, qui partem ex eodem codice ediderat Spicileg. Solesm. t. III p. 321—323, et Bormansius (cf. p. CXLVI), post eum Sauppius in censura editionis (Goetting. Gel. Anzeig. 1866 n. 1), Ferd. Maier in programmate Bruchsaliae anno 1880 edito, quod p. CXXXIII commemoravi. nihil elaboravit Landgrafius (Berliner Philolog. Wochenschrift VIII (1888) n. 12), sive quod linguae graecae

parum gnarus, sive quod significationibus vocabulorum discernendis minus attentus fuit. ego emendationem complurium locorum in commentatione de Apul. phys. recens. et emend. (annal. philol. suppl. XV, 575 sq.) et in 'quaestionibus physiognomonicis' p. 8 sq. aggressus sum.

V.

Iam ut ultima fata quae libelli Pseudaristotelis et Polemonis imprimis apud Arabes, heredes doctrinae Graecorum physiognomonicae, habuerunt ante oculos ponerentur, tria Arabum de physiognomonia arte inter se cohaerentia opuscula latine versa typis mandanda esse censui, quae sunt

A. Pseudopolemonis physiognomonia Gothana (t. II p. 147—160),

B. Rasis ex opere quod inscribitur ad Almansorem vel liber almansorius caput de physiognomonia (p. 161—179),

C. pseudaristotelici operis quod inscribitur secretum secretorum[1]) caput de physiognomonia (p. 181—222).

Fons trium scriptionum breviarium fuit maximam partem e Pseudaristotelis opere concinnatum, paucis locis e Polemone, pluribus aliunde ditatum, sed B et C iam non, ut A, ex ipso hoc breviario, sed per medium fontem nonnulla vel omittentem vel mutantem libaverunt atque ita quidem, ut C etiam plura novaret atque adderet, qua de re ad ea provoco quae de Arist. secr. secr. p. 17 sq. exposui.

1) De hoc opere egi commentatione de Aristotelis quae feruntur secretis secretorum Kiliae 1888 et Centralblatt für Biblioth. VI, 1 sq. et 57 sq.

A.

Ac Pseudopolemonis quidem physiognomonia in codice Gothano arabico A. 85 (cat. access. 1757)[1]) inde a folio 23^{v} usque ad 29^{v} in 26 capita digesta exstat. quamquam incipit latine versa (p. 149, 8): *haec epistula (agit) de scientia physiognomoniae secundum Afîlâmûnem*[2]), tamen neque ordinem neque verba physiognomoniae Polemonianae repraesentat, sed in plerisque rebus cum pseudaristotelica concinit. nonnulla capita (IX de risu, XX de mancipiorum emptione, XXI de temperamentis) aliunde sumpsit. quae e codice liberalitate Pertschii bis Kiliam misso Georgius Hoffmannus transtulit, ego hic latine versa praebeo.

Vocabula quibus asteriscus appositus est emendatione continentur.

B.

Rasis physiognomonia continetur capite XXVI et sequentibus libri de re medicina ad Almansorem secundi. in nonnullis codicibus versionis latinae a Gerardo Cremonensi factae peculiarem efficit scriptionem, ut in Vindobonensi lat. 4753 saec. XIV, Leidensi Vriesiano, de quo supra p. LV not. 1 egi, et in Londinensi Sloaniano 2030 saec. XIV fol. 99 (103)—

1) Cf. Catal. codd. arab. Goth. I, 151 et supra p. XCIX.

2) Hunc falsum Polemonem in 'Platone' fragmentorum physiognomonicorum latere, quae encyclopaediae inscriptae Schebilé Emuna et anno 1360 compositae Meïr Aldabius, Iudaeus Toletanus, inseruit et quae Iosephus ibn Sebara, Iudaeus Barcinonensis, sub finem saeculi XII in 'libro delectationis' laudavit, supra p. XVI not. 1 commemoravi.

104 (109), in quo perperam Avicennae tributa est (*Incipit physionomia Avicenne*), qui singulare de physiognomonia opus omnino non scripsisse videtur.[1]) ego interpretationem illam ex editione Basileensi anno 1544 foras missa (= Ba) dedi hic illic e codice Monacensi lat. 35 saec. XIV (= M), quem ipse contuli, correctam. paucae eae lectiones quae et a M et a Ba recedunt mea emendatione continentur.

Textum arabicum, qui in codice Bodleiano Marsh. 376 (Catal. Uri CXCII p. 139)[2]) legitur, addere supersedi, praesertim cum ex exemplis primi (XXVI) et ultimi (LVIII) capitis, quae Adolfus Neubauer comiter admodum ex illo codice mihi descripsit et Hoffmannus vertit, de Gerardi fide ac diligentia dubitandum non esse intellexissem.

C.

Sirr al-asrar id est secretum secretorum opus est arabica lingua conscriptum, quod, si prologum audimus, e graeco[3]) opere Aristotelis ab

1) Physiognomoniam pluribus codicibus traditam quae incipit: *elegans est nature cognitio* neque, quae fuit Rosii (Anecd. I p. 76) opinio, Avicennae esse, cui in codice Oxoniensi Ashmoleano 1471 (fol. 71ᵛ—74: *Explicit phisonomia Avison*) tributa est, neque recte in nonnullis codicibus (Sloan. 3469 fol. 34 saec. XIV; Cotton. Jul. D. VIII fol. 131) sub Aristotelis nomine ferri, sed christianae originis esse quaest. physiogn. p. 15 sq. ostendi.

2) Codex Dresdensis Ea. 140, cuius aeque atque Bodleiani notitiam Neubauer e Steinschneideri nondum foras misso opere inscripto: Die hebraeischen Uebersetzungen aus dem Arabischen und Lateinischen § 469 p. 725 mecum communicavit, tantum librum nonum continet.

3) Rosius (de Arist. libr. ord. p. 184. Arist. pseud. p. 583. Zeitschrift für deutsches Alterthum XVIII p. 331) cum Steinschneidero revera hoc opus e graeco exemplo auctoris Christiani saeculi VI vel VII redditum esse statuit. cf. de secr. secr. p. 20.

Ioanne filio Bitricii, liberto et officiali Mamunis, chalifae litterarum imprimisque philosophiae Graecorum amantissimi, in syriacam vel chaldaeam vel neograecam atque ex hac in arabicam translatum, si vero opus ipsum accuratius perscrutamur, a viro docto Arabe Aristotelis et Ioannis personas induente saeculo X vel XI e fontibus variae doctrinae iisque etiam graecis consarcinatum, mox epitomatum, verum etiam paululum amplificatum, saeculo XII vel ineunte XIII per Philippum quendam clericum Tripolitanum in linguam latinam conversum atque ex hac interpretatione a Michaele Scoto transductum in librum phisionomiae ad preces Friderici II imperatoris[1]) compositum, ab Alberto Magno in librum de animalibus, a Rogero Bacone in Opus Maius anno 1267 ad Clementem IV pontificem Romanum missum, ab eodem philosopho notis illustratum, denique in omnes linguas recentiores translatum vel libere, quin etiam versibus, tractatum.[2])

Caput de physiognomonia ex eodem fonte quo Rasis ratione qua supra dixi libatum in hoc opere post medi-

---

1) Maior sane pars huius operis sub titulo '*Liber phisionomie magistri Michaelis Scoti cum multis secretis mulierum*' plus semel saeculo XV typis mandati (cf. de transl. lat. phys. Arist. p. 22. Panzer, annal. typogr. IV p. 515 n. 33. Hain, repert. bibliogr. 14549. Kausler, Denkmäler der niederländ. Sprache und Litt. III p. 295. Steiff, Centralbl. für Bibliothekswesen III p. 479) id est pars II c. 24—55 e Rasis physiognomonia arabica, nonnulla e Secreto et e Pseudaristotelis physiognomonicorum interpretatione arabica (vide supra p. XXIII sq.), pleraque vero aliunde vel e Michaelis ipsius ingenio fluxerunt. cf. de transl. lat. phys. Arist. p. 22; de secr. secr. p. 29.

2) Cf. de secr. secr. p. 20—33; Centralblatt für Bibliothekswesen VI p. 1 sq. et 57 sq.; quaest. phys. p. 1.

cinam corporalem i. e. diaetam locum habuit, quoniam physiognomonia medicinae spiritualis instar habita est, sed in codicibus et editionibus versionis latinae Philippi male suo loco in finem operis depulsum est.[1])

Neque opus arabicum ipsum neque recensio secundaria (epitoma), quae in multis codicibus exstant, lucem adhuc vidit. Mauricius Steinschneider capitis de physiognomonia tres codices Gothanos 1869, 1870, 1871, qui opus ipsum[2]) continent, codicem Berolinensem Sprengerianum 943, in quo recensio secundaria inest, et eiusdem versionis hebraicae codicem qui penes ipsum est, a me rogatus animo libentissimo contulit et sermone vernaculo redditum mecum communicavit, unde ego de secr. secr. p. 3 sq. latine versum edidi. versio Philippi in maximo numero codicum et editionum exstat, quae peculiari commentatione (Centralblatt für Bibliothekswesen VI, 1 sq.) recensui.[3]) cuius caput de physiognomonia ad fidem codicum Laurentianorum XV sin. 9 fol. 14 saec. XIII et LXXXIII, 2 fol. 37 saec. XIV, Berolinensis lat. qu. 70 fol. 34ᵛ

1) Cf. de secr. p. 2.

2) Etiam codex Parisinus ar. 944 opus ipsum decem tractatibus comprehensum, hebr. 896 versionem hebraicam continet teste Leclercio hist. de la médecine arabe t. II p. 447 et t. I p. 182.

3) Codicibus quos l. l. enumeravi addendi sunt Cracovienses 228 (DD. VII. 3), 813 (DD. II. 23), 1982 (BB. XIV. 18), 2315 (AA. XI. 9), 2441 (DD. XV. 24), Admontinus 608, Zwettlenses 315 et 357 (Xenia Bernardina II, 1, 425 et 542), Bodleiani Ashmol. 806 et 1289 et Hertford. Colleg. 2, Parisinus Nation. Barrois CLX anno 1267 scriptus, Tarraconensis 201. De versionibus italicis egit Cecioni, il secreto secretorum e le redazioni volgari, Propugnatore N. S. vol. II fasc. 10 p. 72—102; Lydgatii et Burghii tractationem metricam edidit Robertus Steele (Early English Text Society. Extra Series, LXVI) Londini 1894.

saec. XIV et Chisiani H. VII 238 fol. 119^{v} saec. XIV a me collatorum una cum versione utriusque recensionis arabicae l. l. edidi.[1]) quas versiones hoc loco (t. II p. 181—222) repetere mihi visum est atque ita quidem, ut primum locum obtineret recensio primaria textus arabici latine a me facta (= S), secundum versio Philippi (= Ph), tertium recensio secundaria (= s).[2]) codicem Gothanum 1870 numero *1*, 1871 numero *2*, 1869 numero *3*, Berolinensem littera *c*, codicem versionis hebraicae Steinschneiderianum littera *h*, codicem Laurentianum XV sin. 9 littera *L*, Laurentianum LXXXIII, 2 littera *M*, Berolinensem lat. qu. 70 littera *B*, Chisianum littera *C*, consensum horum quattuor codicum littera *o* signavi, vocabula quae a textu arabico absunt, rectis cancellis includenda, quae S de suo addidit, litteris cursivis quae dicuntur imprimenda curavi. in Philippi versione editionum typis excusarum vitiis scatentium nullam in notis rationem habui, quae vero ab *o* recedunt textus lectiones ipse tacite reposui.

---

1) Idem caput ante me ab Eduardo Taubio bis, in dissertatione (tract. script. graec. physiogn. praeparatio, Vratislav. 1862 p. 29 sq.) et in libello gratulatorio gymnasii Gliwizensis anno 1866 foras misso (Aristoteles de arte physiognomonica ad Alexandrum scriptor) p. 1 sq. editum est.

2) Causa in propatulo est qua permotus ordinem et sigla reliqui, quibus de secr. secr. p. 1 sq. Steinschneidero auctore epitomam littera A insignitam primo, versionem recensionis primariae littera B insignitam secundo, Philippi versionem tertio loco posui.

VI.

His succedit (t. II p. 223—232) opusculum anonymi aetatis Byzantinae recentioris. nihil cum physiognomoniis Pseudaristotelis et Polemonis commune habet, sed plane diversa placita profert, etsi ipsius Aristotelis nomen prae se fert in codice qui olim Caroli Strozzae, Thomae filii, fuit, nunc inter Barberinos 323 est. codex chartaceus formae sextae decimae saeculi XVI exeuntis miscellaneus post diversas res theologicas in fol. 188[v] haec praebet:

ἀρηστοταίλους φισηδγνομονικὰ:

φοξὴ καὶ φαλὴ μεστὴ ἀνήας· τ μηκρὰ καιφαλὴ ἄνου καὶ στροκήλη· μεγάλη καὶ φαλὴ πλήρις γνώσεως καὶ μάλιστα ἡ στρογκήλι· ὀφρίαις μετάρστει σημίον ἡψηλοφροσύνης κτλ. et fol. 189 desinit verbis *ἄνθρωπος ἐν μετρίω τῶ σώματι ἔχέφρον.* at pauca verba, ut *ὁμιλεῖν* = loqui, *κοτζώδης*, vel structurae ut *εἰς τὴν ψυχὴν αἰσχύνην ἔχειν, εἰ ὦσι,* sufficiunt ad intellegendum hunc titulum nihil esse nisi commentum hariolí libellum anepigraphum nomine auctoris donare cupientis.

Sed ne alterum quidem nomen auctoris ab alio codice exhibitum etsi Byzantini est, stare potest, Ioannis metropolitae Euchaitensis saeculi XI qui dictus est Mauropus. est is codex Riccardianus 76 char-

taceus formae quartae minoris saeculi XV miscellaneus quattuor manibus exaratus[1]) qui in fol. 89^{v} haec praebet:

τοῦ ἁγιωτάτου μητροπολίτου εὐχαΐτων κυροῦ ἰωάννου τὰ ἐκ φύσεως γνωμικὰ τοῦ ἀνθρώπου. φοξὴ κεφαλὴ μεστὴ ἀνοίας· μικρὰ κεφαλὴ ἄνους κἂν στρογγύλη· μεγάλη κεφαλὴ πλήρης γνώσεως καὶ μάλιστα εἰ στρογγύλη· οὐ πᾶσα φαλάκρα φρόνιμος, ὥσπερ οὐδὲ πᾶς βαθυπώγων. ὀφρύες μετάρσιοι σημεῖον ὑψηλοφροσύνης κτλ., e quo assumpto codice Laurentiano opusculum sub Ioannis Euchaitensis nomine edidit Andreas Mustoxydes (*συλλογὴ ἑλληνικῶν ἀνεκδότων, τετράδιον β′, ἐν Βενετίᾳ* 1816 p. 1—8). et ut ipse de nomine auctoris dubitavit, ita hoc genuinum esse cum aliis persuasit tum Boissonadio (Anecd. III p. 475, cf. II, 457), qui antea opusculum tanquam anonymi in Marini vita Procli, Lipsiae 1814 p. 130—134 publici iuris fecerat. verum is quoque titulus errore continetur librarii, qui nomen auctoris opusculi in codice exemplando antecedentis male ad hunc libellum transtulit. nam quin Riccardianus e Laurentiano LXXIV, 13 codice chartaceo saeculi XV miscellaneo (= L) transscriptus sit, dubitare non poterit qui quae utroque continentur contulerit et Riccardianum non modo in vitiis omnibus cum Laurentiano consentire, sed etiam nonnulla peccata exhibere animadverterit, quae nisi e certis Laurentiani scripturis explicari non queant, ut *σκεπτίμωον*

1) Olim Nicolai Ridolfi fuit, ut ex indice codicum graecorum huius cardinalis (Bibl. de l'Ecole des chartes 1888 p. 314 n. 23) cum iis quae hoc codice continentur collato apparet.

e *σκεπτόμενον* (p. 229, 1), quod L ita praebet, ut semicirculi litterae *o* in unum confluxerint et litterae *ευ* similem speciem habeant atque *ω*.[1]) in hoc autem codice L opusculo in fol. 303 inscripto *τοῦ ἁγιωτάτου μητροπολίτου εὐχαίτων κυροῦ ἰωάννου ἐτυμολογικὸν ἔμμετρον τῶν τῇ θείᾳ γραφῇ γνωρίμων ὀνομάτων* succedit noster libellus in fol. 304^{v} inscriptus *τὰ ἐκ φύσεως γνωμικὰ τοῦ ἀνθρώπου*.

Neque quartus codex Parisinus gr. 2991 A (= P), chartaceus formae octavae saeculi XV miscellaneus, olim monasterii Athoi *τῆς ἁγίας ἀναστασίας*, deinde Iani Lascaris, e quo Boissonadius l. l. opusculum edidit, id nomine auctoris praeditum, sed inscriptum *τὰ γνωμικὰ τοῦ ἀνθρώπου* (fol. 320^{v}—325) exhibet. accedit quod de tali Euchaitensis opusculo nihil nobis traditum est.

Barberini et Riccardiani codicum in textu libelli recensendo nullam esse auctoritatem ex his quae exposui satis elucet. L autem et P ad idem exemplar redeunt et pari fere pretio sunt. ad quorum fidem libellum ita edidi, ut eorum consensum littera a indicarem. adieci tamen etiam lectiones tertii codicis, Sinaitici, qui est in catalogo Gardthauseni 459 (= S), quoniam hic, etsi L et P codicibus multo deterior parumque integer est, tamen e neutro pendet. Quae enim in illo codice miscellaneo chartaceo circa annum 1568 scripto inter *Epistulas* et *opusculum Basilii Magni* Gardthausenus exstare dicit *φυσιογνωμικά*, nihil nisi nostri opusculi fragmentum esse passim mutilum et inde a verbis p. 228, 8 *χείλη λεπτὰ εὐγνώμονος καὶ οὐχ*

1) Cf. Philol. XXXV, 173.

ἁμαρτοεποῦς σημεῖον plane deficiens idque neglegentissime exaratum ex apographo intellexi quod Fridericus Grote, theologiae licentiatus, dum in sacro monte versatur, die XXIII mensis Decembris anni 1891 humanissime meum in usum fecit.

In lectionibus editionum Mustoxydis et Boissonadii in apparatum criticum recipiendis hanc fere normam secutus sum, ut earum quidem quae coniecturis ipsorum debentur plerasque adnotarem, quaecunque vero mera vitiorum codicum repetitione continentur omitterem.

VII.

Iam ne quid huic corpori scriptorum physiognomonicorum deesset quod iure requiri posset, etiam syllogen locorum physiognomonicorum (t. II p. 233—351), cui faciendae, quamdiu his studiis tenebar, operam navavi, addendam esse censui.

In quam recepi non solum placita omnium generum physiognomoniae, zoologicae, gentilis, pathologicae, sed etiam locos qui sunt de eius notione, ratione, laude, initiis, quin etiam qui eam impugnant. exclusi tantum eos qui nihil nisi singulis vel animalibus vel gentibus certam quandam animi qualitatem tribuunt vel qui non tam status, quam motus animi actusve describunt. digessi autem syllogen in duas partes, locos scriptorum graecorum et latinorum, atque ita quidem, ut ordinem sequerer aetatis eorum qui auctores sunt locorum. itaque, ut exemplo defungar, locum Posidonii qui apud Galenum reperitur, non sub hoc, sed sub illo protuli. locos autem qui ex aliis descripti vel delibati sunt statim his subieci.[1]) talem in modum, etsi magna argumenti varietas inter locos continuos exsisteret necesse erat, hoc effectum iri sperabam, ut historia

1) Etiam Platonis Phaed. p. 81 F de physiognomonia animalium loco p. 253 similes aliorum scriptorum subiunxi.

artis physiognomonicae, cuius lineamenta ut e prolegomenis lectori effulgerent operam dedi, quantum fieri posset hac sylloge suppleretur, ita ut etiam in illis ad hanc provocare possem. accedit quod nonnullorum locorum argumentum multiplex est itaque hi, si secundum genera ordinarentur, aut in plures partes dirimendi aut identidem afferendi essent. nec difficile erit locos eiusdem vel similis argumenti ex hac sylloge colligere.

VIII.

Postremo etsi haud defuturos esse spero qui haec scripta integra perscrutentur, tamen etiam commodo eorum qui de singulis rebus ad physiognomoniam pertinentibus certiores fieri volunt indice quam locupletissimo consulendum esse duxi.

Quem triplicem esse volui: indicem vocabulorum graecorum, latinorum, arabicolatinorum (i. e. eorum quae in versionibus latinis operum locorumve arabicorum vel syriacorum) exstant. a vocabulis seiunxi nomina propria, quae in tres classes distinxi, auctorum, deorum hominumque, gentium et terrarum et urbium. et quamquam physiognomoniae potissimam rationem habui, tamen vocabula ab hac quidem aliena, sed ob raritatem usus vel structurae memorabilia ab indicibus graeco et latino exsulare nolui. in indicem tamen versionis latinae libelli pseudaristotelici a Bartholomaeo Messanio factae nisi quae aliquid prorsus singulare habere viderentur vocabula non recepi. ea contra quae in Gerardi Cremonensis et Philippi Tripolitani versionibus occurrunt a reliquis quidem arabicolatinīs non separavi, sed maxima ex parte in tabulas rettuli.

Quoniam autem lexicon quod vocabula secundum subtiles significationum differentias digesta proferret

fines huius editionis excessisset, futuro id tempore vel a me vel ab alio conditum iri sperans nunc nihil fere nisi vocabulis numeros locorum quibus reperiuntur secundum paginarum ordinem adscripsi.

In indicibus graeco et arabicolatino numerus II tomum alterum significat; in indice latino omnes numeri arabici ad alterum tomum referendi sunt. neutra adiectivorum substantivi instar adhibita non cum masculinis, formas graduum comparativi et superlativi non cum positivo, adverbia non cum adiectivis, participia adiectivorum vel substantivorum locum tenentia non cum infinitivis, infinitivos perfecti pro praesenti usurpatos non cum praesenti coniunxi, sed haec omnia per se constare volui. vocabula quae coniectura continentur asterisco, addubitanda signo interrogationis notavi, inserta uncis obliquis, delenda rectis inclusi.

In indicibus cum conficiendis tum corrigendis a viris doctissimis Henrico Schindler, Carolo Bruchmann, Georgio Buelow liberalissime adiutus sum, quibus etiam hoc loco lubenti animo quas par est gratias ago.

Addenda et Corrigenda.

Proll. p. XI. De Physiognomonico Antisthenis qui nuperrime scripsit Eduardus Norden (annal. philol. suppl. XIX, 368 sq.) in Duemmleri quidem coniectura repellenda mecum concinit, sed opinionem, qua Henrychowskius (Ein kurzer Beitrag zur Litteratur der Physiognomones, Gnesen 1870 p. 14) praeiverat, Antisthenem sophistas physiognomonice persecutum esse probavit, a re quam ego incertam esse dixi, titulorum *περὶ σοφιστῶν* et *φυσιογνωμονικός* unitate, profectus.

Recte idem l. l. p. 373 observavit Antisthenis physiognomoniae studium etiam verbis scholii codicis Veneti A ad Il. Ψ, 65 sqq.

ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο
πάντ' αὐτῷ μέγεθός τε καὶ ὄμματα κάλ' εἰκυῖα
καὶ φωνήν, καὶ τοῖα περὶ χροὶ εἵματα ἕστο

ἐντεῦθεν Ἀντισθένης ὁμοσχήμονάς φησι τὰς ψυχὰς τοῖς περιέχουσι σώμασιν εἶναι (Antisth. frr. IX, VII p. 28 ed. Winckelmann) illustrari.

XXIII not. 2 l. 2 legas: Steiffium

XL, 12 legas: exsulare

LXX, 4 de epigrammate Theocriteo cf. Reitzenstein, Epigramm und Skolion p. 275 sq.

LXXVI Aristidem rhetorem non anno demum 129, sed iam 117 natum esse Guilelmus Schmid Mus. Rhen. XLVIII, 60 sq. redarguit, sed hac re fundamenta chronologiae Polemonianae non labefactantur.

CXIII Codex nunc inter Phillippicos bibliothecae Berolinensis est CLXXII. cf. Studemund et L. Cohn, Codices ex bibl. Meermann. Phillippici graeci nunc Berolinenses p. 75.

CXLIII, 12 sq. Praepositionem *a* pro *quam* post omnis generis comparativos iam sub initium quarti saeculi in usum venisse demonstrat locus Lactantii div. inst. I, 13, 1 *qui a temporibus eius recentior fuit.* cf. Sam. Brandt, Archiv für lat. Lexic. VII, 595.

CLXXIII, 16 legas: profert haec: tit. VII fol. 71v col. 1 l. 8 (ed. s. l. a. 1482) *oculi corporales* etc.

---

vol. I, 2 Conspectui siglorum in apparatu critico adhibitorum post B = codex Marcianus gr. 200 addas:

A = codex Marcianus gr. 215

E = codex Laurentianus LVII, 33

208, 16 et in nota legas: Armenius

228, 4 post Caput XXVI addas titulum: De physiognomonia et signis nasi

245, 17 legas: rubedinis, intellegentiae

274, 7 legas: inversis palpebris, crassis manibus

310, 6 legas: *φιλόλογον*

344, 4 pro *πρᾶοι* melius *πράως* legi videtur

354, 9 legas: *δακτύλους*

359, 11 ante *λεπτὰ* deest lacunae signum

371, 5 legas: *ὀδύρται*

382, 8 legas: *ἀποφήνασθαι*

392, 15 legas: *ψεδνότης*

397, 7 ad *ἐπιτετηδευμένως* cf. Dion. Hal. de Dinarcho 7 p. 664, 13 R. *τὸ ἐπιτετηδευμένον καὶ οὐκ ἐκ φύσεως ὑπάρχον.*

---

vol. II, 21, 1 in apparatu critico legas: atque] et *Ec*

24, 7 reponas: subflavi

39, 5 pro doli plenos videtur legendum dolis plenos, ut 36, 7 dolis et audacia plenum. nam doli vocis auctor physiognomoniae latinae tantum formis pluralibus usus est

40, 12 reponas: significant

58, 8 in apparatu critico ad hunc] addas: *post* dicit *inser. c in marg. et E* palemon

74, 7 in apparatu critico legas: *post* docilem *in marg.* hominem signat *inser. c,*

112, 10 inter vocant. et idem inseras numerum paragraphi: 84

134, 14 narem suam] delenda est nota *num* nates suas? ratione habita Polemonis vers. arab. p. 124, 4

149, 19—150, 3 pro voce supracilium reponas: supercilium

200, 11 legas: possessor

232, 1 *ὀλιγολόγος* cum Boissonadio in *ὀλιγόλογος* corrigas

232, 10 *ἑτοίμως* corrigas in *ὁμοίως*

244, 16 legas: exscripsit Galenus animi mor. corp. temp. t. IV p. 800 K. p. 59 M. et in Hippocr. de um. II comm. t. XVI p. 317 K. = syll. fr. 105 p. 297, 11

246, 13 post syll. fr. 105 addas: et e parte in Hippocr. de um. I comm. t. XVI p. 91 K. = syll. fr. 104

246, 20 legas: *μελαγχολικά*

264 not. 1 post 153 addas: et Herm. Ioachim, de Theophrasti libris *περὶ ζῴων*, Bonnae 1892 p. 10 sq.

271, 4 *ἔθη* corrigas in *ἤθη*

290, 18 post temp. inseras: c. 7

300, 14 *τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς* dixit Aristophanes Lys. 8 eumque secuti Alciphro ep. III, 19, Longus IV, 20, 1, Eustathius adv. implac. accus. § 35 (opusc. ed. Tafel p. 106ª 26). cf. schol. ad Arist. l. l. *τοξοποιεῖν· ἀντὶ τοῦ ἐσκυθρωπακέναι. ἀπὸ τοῦ παρακολουθοῦντος. τοιοῦτον γὰρ τὸ πρόσωπον τῶν ἐν μερίμνῃ ὄντων.* Etym. M. p. 762, 8 et Phot. lex. s. v. *τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς· ἀντὶ τοῦ σκυθρωπάζειν.* Hesych. s. v. *τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς· συστρέφειν αὐτάς.*

312, 20 *ἰλλούς* corrigas in *ἴλλους*

315, 2 legas: *Ὑπερίδῃ.*

336, 20 quantitates videtur corrigendum in qualitates.

I.

[ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ]
ΦΥΣΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΑ.

Conspectus siglorum
in apparatu critico textus graeci adhibitorum.

K = codex Marcianus append. class. IV, 58
P = codex Parisinus graecus 1893
F = codex Ambrosianus C 4 Sup.
H = codex Havniensis universitatis 60
D = codex Marcianus gr. 263
L = codex Musei Britannici Harleianus 5635
C = codex Marcianus gr. 216
B = codex Marcianus gr. 200
b = consensus codicum K et P
c = consensus codicum F et H
d = consensus codicum D et L
o = consensus codicum omnium
Ald. = editio Aldina Veneta a. 1497
Iunt. = editio Iuntina Florentina a. 1527
Bas. I = editio prima Basileensis a. 1531
Bas. II = editio secunda Basileensis a. 1539
Bas. III = editio tertia Basileensis a. 1550
T = translatio Bartholomaei.

Conspectus siglorum in apparatu critico translationis Bartholomaei de Messana adhibitorum.

P = codex Patavinus bibliothecae Antonianae 370
A = codex Parisinus lat. 16097
B = codex Parisinus lat. 16083
F = codex Vindobonensis lat. 87
R = codex Monacensis lat. 14147
r = consensus codicum *ABFR*
o = consensus codicum omnium.

[ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ] ΦΥΣΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΑ.

I.

p. 805ᵃ ed.Bekk. 1. *Ὅτι αἱ διάνοιαι ἕπονται τοῖς σώμασι καὶ οὐκ εἰσὶν αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς ἀπαθεῖς οὖσαι τῶν τοῦ σώματος κινήσεων, τοῦτο [δὲ] δῆλον πάνυ γίνεται ἔν τε ταῖς μέθαις καὶ ἐν ταῖς ἀρρωστίαις· πολὺ γὰρ ἐξαλλάττουσαι φαίνονται αἱ διάνοιαι ὑπὸ τῶν τοῦ σώματος παθημάτων. καὶ τοὐναντίον δὴ τοῖς τῆς ψυχῆς παθήμασι τὸ σῶμα συμπάσχον φανερὸν γίνεται περί τε τοὺς ἔρωτας καὶ τοὺς φόβους τε καὶ τὰς λύπας καὶ τὰς ἡδονάς. ἔτι δὲ ἐν τοῖς φύσει γινομένοις μᾶλλον ἄν τις συνίδοι, ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς ἄλληλα σῶμά τε καὶ ψυχὴ συμφυῶς ὥστε τῶν πλείστων ἀλλή-*

[*ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ*] *ΦΥΣΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΑ*] *'Αριστοτέλους* *φυσιογνωμονικόν:* *φυσιογνωμονικόν* F *ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΦΥΣΙΟΓΝΩΜΟΝΙΚΗ* H (m² supra *E* acutum et supra deletum *H* posuit *ά*) *ἀριστοτέλους φυσιογνωμικά* P *φυσιογνωμονικὰ 'Αριστοτέλους* L 1. *Ὅτι*—p. 6, 9 *εἴη ἂν φυσιογνωμονεῖν*] Ioannes Stob. anthol. I, 47, 6 (I p. 301, 23 ed. Wachsm.) cum lemmate: *'Εκ τῶν* (*τοῦ* codd.) *'Αριστοτέλους φυσιογνωμονικῶν* (*φυσιογνώμονος* codd.) 1. *αἱ*] d Stob. *καὶ* bc *σώμασι*] *ἀνθρώποις* Stob. 2. *ἀπαθεῖς*] *ἀπαθεῖν* K (corr. m²) *οὖσαι*] *μένουσαι* Stob. (et Wachsmuthius) 3. *δὲ* cancellis inclusi om. Stob. *δὴ* Wachsmuthius *πάνυ*] om. Stob. *ἔν τε*] *ἐν* Stob. 4. *ἐν ταῖς*] om. Stob. *ἐξαλλάττουσαι*] *ἐξαλάττουσαι* K (m² alterum *λ* supra posuit) *ἐξελάττουσαι* c 7. *γίνεται*] *γίγνεται* L *ἐστι* Stob. 8. *ἔρωτας*] *ἔρωτος* P (corr. m²) *τε*] om. L Stob. num *φόβους καὶ τὰς λύπας τε καὶ τὰς ἡδονάς?* 9. *γινομένοις*] *γιγνομένοις* L Stob. 10. *συνίδοι*] *συνίδῃ* c *ὅτι*] om. K *ὡς* P K² (supra lineam) *ἔχει*] *ἔχοι* P 11. *συμφυῶς*] *συμφυῆ* bc Stob.

BARTHOLOMAEI DE MESSANA INTERPRETATIO LATINA.

1. Quoniam et animae sequuntur corpora et ipsae secundum se ipsas non sunt impassibiles a motibus corporis. hoc autem manifestum fit valde in ebrietatibus et in egritudinibus. multum namque animae mutatae videntur a passionibus corporis, et e contrario utique corpus compatitur passionibus animae. manifestum autem fit circa amores et timores et tristitias et delectationes. amplius autem et ⟨in⟩ natura factis vel generatis magis utique aliquis conspiciet, quod corpus et anima ita se habent connaturaliter, quod fiunt causae plurimarum passionum ad invicem. nun-

---

